

31/7/79.

This specimen of your Trichomanes Vitiensis, dear Mr Baker, may interest you as coming from a new locality, the first in New South Wales.

Let me offer my felicitation to your well-earned election into the R.S.

Your works proceed with an amazing rapidity, and yield a rich enviable harvest always of novelties.

But you enjoy op-
portunities, such
as only at Kew are
to be found, and which
cannot recur in
the next generation.

Always your

Ferd. von Mueller.

Joanni Gilberto Baker
volumen modestum
scriptore oblatum.

16/4/78

I send you, dear Mr
Baker, a copy of
the 10th vol of the
fragmenta, just
completed. I should
value a copy of your
Mauritius flora in
return

Regardfully
Ferd. von Mueller

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ,

CONTULIT

LIBER BARO FERDINANDUS DE MUELLER,

Philosophiae et Medicinae Doctor, Ordinis Regii Britanici Sanctorum Michaelis et Georgii Socius, Ordinis Regii Lusitanici a Sancto Jacobo et Ordinis Regii Hispanici Isabellae Præfectus, Ordinis Regii et Grandiducalis Luciliburgo-Batavici coronae quercinae subpraefectus, Ordinis Regii Suecici stellae polaris, Ordinis Regii Bavarici Sancti Michaelis, Ordinis Regii Danici Dannebrogici, Ordinis Imperialis Franco-Gallici Legionis Honoris, Ordinis Imperialis Austriaci Francisci Josephi, Ordinis Regii Italiani Sanctorum Mauritii et Lazari, Ordinis Imperialis aquilae rubrae, Ordinis Regii Coronae Italicae, Ordinis Regii Coronae Wuertembergicae, Ordinis Regii Coronae Borussicae, Ordinis Grandi-Ducatus Megapolitani Venedorum, Ordinis Magno-Ducatus Vimarici a falcone, Ordinis Ducalis Gothaici Domus Ernestinae Eques, Guberni Coloniae Victoriae Phytologus, Musei Botanici Melbournensis Director, Societatis Regiae Londinensis, Academiae Imperialis Carolino-Leopoldinae Naturae Curiosorum nec non Societatis Imperialis Rossicae Naturae Scrutatorum membrum, Societatis Franco-Gallicae Acclimationis, Societatis Botanicae Canadensis, Societatis Agriculturae et Acclimationis Siculae, Academiae Scientiarum Californicae, Societatis Pollichianae Palatinatus, Societatis Zoologicae Coloniensis, Societatis Scrutatorum Naturae Hercynicae, Societatis Investigatorum Naturae Hamburgensis, Societatis Acclimationum et pro Historia Naturali Borbonicae, Societatis Zoologicae Rotterdamensis, Societatis Regalis Victorianae, Societatis Medicorum Victoriae, Societatis Pharmaceuticae aeque ac Societatis Germanorum Melbournensis, Societatis Regiae Tasmanicae, Societatis Philosophicae sicut ejus Acclimationis Neo-Zelandicae, Societatis Regiae Novo-Cambricae, Societatum pro Horticultura Melbournensis, Tasmanicae et Adelaidensis, Societatis Historiae Naturalis Hanoveranae, Societatis Pharmacopolarum Austriacae, Societatis Wuertembergicae pro cognitione patriae, Societatis Regiae Geographicae Italianae, Societatis Horticulturae Californicæ, Societatis Ruralis Civitatis Argentinae, Societatis Geographicae Mexicanae, Instituti Novo-Zelandici, Instituti Penolensis, Unionis Agricultorum Ballaratensis, Societatis Linneanae Novae Austro-Cambriae, Societatis amicorum naturam Investigantium Berolinensis, nec non Collegii pro examinibus medicis in Universitate Melbournensi membrum honorarium, Societatis Germanicae Moeno-Francofurtanae consiliarius, Societatis Anthropologicae Londinensis Secretarius localis, Pharmacopolarum adjunctorum Melbournensium patrono, Societatis Linneanae Londinensis, Societatis Regiae Geographicae Londinensis, Societatis Zoologicae Londinensis, Musei Historiae Naturalis Parisiensis, Instituti Imperialis Austriaci Geologici, Societatis Regiae Archaeologicae Hafniensis, Academiae Regiae Goettingensis, Societatis Regiae Scientiarum Upsaliensis, Societatis Imperialis Rossicae Acclimationis, Societatis Amicorum Naturae Moscoviensis, Academiae Regiae Scientiarum Monacensis e Classi Physico-Mathematica, Instituti Franco-Gallorum Africani, Societatis Zoologicae et Phytologicae nec non ejus pro Horticultura Vindobonensis, Societatis Botanicae Hafniensis, Societatis Geographicae pro Colonisatione Dresdensis, Societatis Imperialis Horticulturae Petropolitanae, Societatis Physico-Medicae Erlangensis, Societatis Regiae Botanicae Ratisbonensis et ejus Edinensis, Societatis Regiae Artium et Scientiarum Mauritianae, Societatis Scrutatorum Naturae Halensis, Societatis Physiographicae Lundensis, Societatis Silesicae pro Patriae Cultura, Societatis Geographicae Darmstadiensis, Academiae Physiocriticae Sienensis, Societatis Scientiarum Naturalium Cherburgensis, Unionis scrutatorum naturae Bremensis, Societatis Geographicae Berolinensis, Societatis Scientiarum Leodiensis, Musei Historiae Naturalis Madritensis, Societatis Senkenbergianae Moeno-Francofurtanae, Societatis Regiae botanicae Londinensis, Societatis Belgicae Micrographicae, Academiae Scientiarum Novo-Aurelianae, Societatis Anthropologicae Berolinensis, Instituti Conimbrici, Unionis Regiae Indo-Batavae pro cognitione naturae, Societatis Historiae Naturalis Mexicanae, Instituti Regii Scientiarum Artium et Litterarum Veneti, Unionis pro Hortorum Cultura in Civitatibus Borussicis, Academiae Scientiarum Naturalium Philadelphicae, Societatis pro Acclimatione animalium plantarumque insulae Mauritianae, Societatis ad promovenda naturae studia Marburgensis, Societatis pro Agricultura Algericae, aliarumque unionum scientias colentium sodalis vel ordinarius vel per literas conjunctus.

"OMNIA AUTEM PROBATE ET QUOD BONUM EST TENETE."

Epistol. Pauli ad Thessalon. I., Cap. V., 21.

VOL. X.

Melbourne:

AUCTORITATE GUBERNI COLONIÆ VICTORIÆ. EX OFFICINA JOANNIS FERRES.

1876—1877.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXI.

Ranunculaceæ.

Clematis Fawcettii.

Glabra, *dioica, segmentis foliorum duplici-ternatis membraneis lato- vel rhombeo-lanceolatis incisis et acute dentatis*, pedunculis 3–5 floris, pedicellis flore longioribus, sepalis quatuor lato-linearibus acutis margine tomentellis stamina glabra bis terve superantibus, *antheris oblongis muticis,* carpidiis glabris stylo pluries longiore præter apicem plumoso terminatis.

Prope oppidum Lismore ad flumen Richmond-River ; Fawcett et Carron.

Planta volubilis, forsan alta. Petioli elongati. Petioluli longiusculi. Folia iis Cardiospermi non dissimilia, concoloria, læte virentia ; segmenta sesquipollicaria vel breviore, inferne profundius lobata. Sepala circiter pollicem longa et lineam lata. Antheræ linea paulo breviores. Styli fere e basi plumescentes. Carpidia statu juvenili tantum visa ovata, acuminata.

Hæc Clematis formam fortasse specificam exhibet, C. microphyllæ affiniorem quam C. glycinoidi ; illam fugit latitudine dentatione et incisione segmentorum omnium foliorum atque antheris longioribus, C. glycinoidem foliorum segmentis duplicato-ternis denti- et lobigeris tenerioribus et antheris muticis, ambas glabritie præter sepalorum marginem perfecta. Carpidia statu plane maturato adhuc comparanda.

Nulla specierum Novo-Zelandicarum cum nostra nova confundi queat. Inter species Asiaticas proxima C. orientalis (L. Sp. Pl. 543), cujus flores autem bisexuales, sepala insigniter latiora, filamenta et carpidia non glabra. Inter Africanas C. brachiata (Thunb. Fl. Cap. 441) propinqua, quæ vero pubescens, et folia crassiora, sepala obtusa et latiora, filamenta basim versus pilosa gerit.

Clematis aristata segmenta foliorum passim serrata producit ; ad fluvia Richmond-River et Loddon et in Novam Angliam extendit. Varietatem C. pubescentem habeo ab Esperance-Bay (Forrest), Eyre's Relief (Maxwell), Porongerup (F. M.) et e pluribus aliis locis Australiæ occidentalis. Var. C. gentianoidem habeo a Swanport (Story), Piper's River (Hannaford), Bridgewater (Milligan), Launceston (F. M.).

Clematis glycinoides nunc nota ab Illawarra (Ralston), New England (C. St.), McLeay's River (Herriott), Clarence-River (Beckler), Richmond-River (Hodgkinson), Tweed (Eaves), Condamine's River (Hartmann), Boyd's River (Leichhardt), Burnett's River (F. M.), Rockhampton (Thozet), Pioneer-River (Nernst), Herbert-River (Bowman), Port Denison (Fitzalan), Rockingham-Bay (Dallachy), Gilbert-River (Daintree), Port Darwin (Schultz). Vidi quoque hanc plantam e Nova Caledonia.

Clematis microphylla habitat usque Springsure (Clevelt), Darling's Downs (Lau), Boyne's River (Hartmann), Castlereagh's River (Woolls), New England (C. St.). Oras usque Champion-Bay (C. Gray) sequitur. Varietatem leptophyllam a Murrumbidgee misit Ludovica Calvert. Connectivum antherarum aliquarum passim ultra loculos brevissime protractum. Stamina 4 sepalis opposita rarius 3 et 5 in flore fœmino inveniuntur. Styli in flore masculo nulli.

Anemone crassifolia lobis foliorum incisis ad Mount Fatigue (R. Johnston) occurrit.

Myosurus minimus (L. Sp. Pl. 284) ad ostium fluminis Murray-River vergit ; nec non usque ad flumina Murrumbidgee (F. M.) et Darling's River abunde extendit.

Ranunculus Millani (F. M. in Transact. Phil. Soc. Vict. 1855, p. 97) altitudine 6–7000′ in Mount Kosciusko viget, ubi quoque R. Gunnianum legi.

Ranunculus lappaceus (Sm. in Rees' Cycl. 61) ad flumen Dawsoni usque extendit. Vide Proceed. of the Linn. Soc. 1858, p. 151.

Ranunculus hirtus (Soland. in G. Forst. Florul. Insul. Austr. Prodr. 90) ad Moreton's Bay, New England, Condamine's et Warren's River occurrit.

Ranunculus rivularis (Sol. in G. Forst. Prodr. 90) ad Springsure (Wuth), Lockyer's et Boyne's River (Hartmann), Clarence's River (Wilcox), New England (C. St.), Murrumbidgee (F. M.) extendit.

Ranunculus parviflorus (L. Sp. Pl. edit. secund. 780) usque Rockhampton (O'Shanesy), Darling's Downs (Lau), Darling's River (Forde), Gawler's Ranges (R. Sullivan), Edward's River et Porongerup (F. M.) inventus. Carpidia rarissime lævia.

Caltha introloba in Mount Baw-Baw et Field East altitudine 4–5000′ obvenit. Folia lucida. Filamenta purpurascentia. Antheræ e flavo-virente nigrescentes. Carpidia usque sedecim.

Tremandreæ.

Tetratheca efoliata.

Flexuoso-ramosa, fere glabra, *ramis teretibus, foliis paucissimis* lineari-oblongis margine revolutis vel nullis, pedicellis crassiusculis flori æquilongis vel eo brevioribus, sepalis petalisque quinque, illis lanceolato-ovatis corolla vix triplo brevioribus appressis, filamentis brevissimis, antherarum loculis atropurpureis tubulo ochroleuco lævi paulo longioribus, *germine glanduloso-puberulo, loculis bigemmulatis,* capsula orbiculari-ovata, *seminibus brevi-pubescentibus.*

Inter oasim Ularing et montem Jacksoni ; Young.

Planta circiter pedalis. Folia $1\frac{1}{2}$–3‴ longa. Pedicelli solitarii v. gemini. Sepala fere sesquilineam longa. Petala colore formaque plerarumque congenerum. Capsula statu nondum perfecte maturato visa fere 4‴ longa.

A T. nuda hanc novam separo ramulis crassioribus et tortulis, pedicellis haud capillari-tenuibus, numero ovulorum et indumento seminum.

Tiliaceæ.

Elæocarpus Grahami.

Elatus, ramulis apice sericeo-tomentosis, *foliis longe subitoque petiolatis chartaceis late lanceolatis* tenui-acuminatis crenato-serrulatis subtus imprimis ad nervos sericeo-pubescentibus, *venis parum prominentibus, racemis parce pilosis, pedicellis capillaribus flore longioribus* bracteolas bracteamque subulato-lineares persistentes ter pluriesve superantibus, alabastris tenui-conicis, fimbriis petalorum angustissimis, *staminibus* 15–17 *puberulis,* filamentis anthera barbellato-mucronulata vix dimidio brevioribus, pistillo glabro, germine biloculato, loculis paucigemmulatis.

Ad flumen Daintree's River ; Fitzalan.

Petioli unciales vel paulo longiores, sericeo-pubescentes. Folia 4–6″ longa, 1–$1\frac{1}{2}$″ lata, prominenter dissiteque penninervia. Racemi quinque-pollicares vel breviores numerosi. Pedicelli $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longi. Bracteolæ cum bractea circiter lineam longæ, viscidæ. Sepala 5, lineari-lanceolata, fere 3‴ longa. Petala angusto-oblonga, calycem paulo superantia, intus inferne tenui-puberula, superne extusque glabra, nec basi nec apice dilatata. Antheræ circiter lineam longæ. Stylus setaceus, 3–4‴ longus. Discus annularis, glaber. Fructus mihi incognitus.

Hæc Elæocarpi species inter Australianas E. ruminatum proxime attingit. Folia haud dissimilia ; indumentum autem foliorum e pilis nec stellaribus nec caducis, nec in tomentum amplum congestis, foveolæ abscentes ; petioli haud fere glabri ; pedicelli longiores, multo tenuiores, nec cum calycibus cano-sericei ; bracteæ longiores,

neque fugaces, nec semilanceolatæ ; alabastra graciliora basim versus minus ampliata. Inter congeneres Polynesiæ habemus proximum E. Græffei (Seem. Fl. Vit. 28, t. viii.), foliis glabris, pedicellorum brevitate et crassitie, bractearum forma et minutie, petalis latis, staminum copia, germine discoque puberulis et quoque forsan fructibus diversum. Inter species Indiæ E. tectorius (Poir. Encyl. Meth. Suppl. ii. 104) divellitur jam alabastris ovatis haud acutis, antheris muticis.

Elæocarpus Ceylanicus (Arn. in Acad. Cæs. Leop. Carol. Nat. Cur. xviii. 323) foliis repando-crenatis glabris, bracteis caducis, pedicellis crassioribus cum dorso petalorum sericeis, staminum numero aucto, antherarum mucrone longiore, germine æque ac disco sericeo facile separabilis, sed E. Ceylanico forsan E. glandulifer (Mast. in J. Hook. Flor. of Brit. Ind. i. 406) adscribendus.

Elæocarpus leucobotryus (Monocera leucobytrya, Miq. Prodr. Flor. Sumatran. 409) foliis crassioribus glabris edentulis, racemis sericeis, alabastris latioribus, validitate pedicellorum, præcoce bractearum defectu jam cum nostro novo confundi nequit.

Speciem bracteolis elongatis et persistentibus eximiam sancivi amico Georgio Graham, M.D., scientiarum in nostra colonia promotori benigno et præstanti.

Elæocarpus Arnhemicus (F. M. Report. Intercol. Exhib. 1867, p. 24) notis aliquot amplius definitus est in F. M. Descriptive Notes on Papuan Plants, p. 6.

Elæocarpus grandis inter species Novo-Caledonicas ad E. persicifolium (Brogn. et Gris in Annal. des Scienc. Nat. ser. cinq.) vergit.

Elæocarpus ruminatus petala saltem juvenilia extus argenteo-sericea, stamina 20–25, antheras mucronulatas et germen sericeum habet.

Polygaleæ.

Comesperma viscidulum.

Fruticosum, *ramis viscidis, foliis lanceolato-ovatis* planis uninerviis recurvato-acuminatis scabriusculis, corymbis terminalibus, bracteolis bracteaque ovato-lanceolatis, hac illas conspicue superante, pedicellis flore paulo brevioribus, *sepalis interioribus flavescentibus exteriora rotundata libera pluries excedentibus*, petalo anteriore fere libero haud cornuto, stigmate breviter lobato, germine glabro.

Ad fontes eremi Victoria's Springs ; Young.

Frutex pauci- nisi pluri-pedalis. Folia 2–4‴ longa, supra glaucescentia, subtus nitenti-virentia, interdum simpliciter acuta, nunquam crassa. Bractea pedicello aliquoties brevior, cito decidua. Sepala exteriora $\frac{2}{3}$‴ longa. Petalum carinale fere 3‴ longum, inferne cum petalis lateralibus pallidum, apicem versus lutescens. Stylus glaber, fere 2‴ longus. Fructus adhuc ignotus.

A C. Drummondi, quod usque ad Cape Arid et Lucky Bay extendit, hoc novum facile discriminabis ramis glutinosis, foliis nec crassis nec incurvis sed distincte nervatis, bracteis latioribus et brevioribus, denique florum colore potius ad C. flavum vergente. C. silvestre separant glaucedo ramorum, folia concoloria majora apice recta scabritie destituta æque ac color florum.

Myrtaceæ.

Eucalyptus Youngiana.

Arborea, ramulis teretiusculis, *foliis falcato-lanceolatis* sparsis longe sensim acuminatis concoloribus longiuscule petiolatis imperforatis, venis subtilissimis transversalibus copiosis, longitudinalibus duabus margini valde approximatis, pedunculis solitariis præcrassis compressis bi- v. trifloris, *pedicellis crassissimis flore conspicue brevioribus, calycis præmagni tubo depresso-hemisphærico longitudinaliter multicostato operculi lignosi late conici acuminato-rostrati longitudinem vix semiæquante,* antheris cordato-ovatis longitudinaliter dehiscentibus, stylo crasse subulato, fructibus depresse turbinato-hemisphæricis plicato-costatis vertice suo orificium capsulæ late cingente inter annulum staminigerum et marginem interiorem erecte protractum ample impresso, valvis quinque deltoideis, seminibus apteris.

Ad fontes eremi Victoria-Springs ; Young ; sinum marinum Fowler's Bay versus, Richardson.

Arbor monente præclaro inventore 50-pedalis. Folia crassiuscule coriacea, pallide virentia, haud evidenter nitentia, pleraque 4–5″ longa, $\frac{2}{3}$–1″ lata ; venæ angulo acuto excurrentes, non prominentes. Pedunculi deflexi, pollicem vix attinentes. Calycis tubus 1–1$\frac{1}{2}$″ latus, crasse lignescens ; operculum fere sesquipollicem longum, rugatum. Stamina quantum vidi omnia fertilia. Filamenta flava ; longiora pollicem fere attinentia. Antheræ $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$‴ longæ. Stylus inferne lineam crassus. Fructus sua forma eum E. pachyphylli valde approximans, sed multo major ; præter plicas suas costales eis E. macrocarpæ et E. pyriformis non dissimilis. Semina fertilia lineam vix excedentia, lata, angulosa ; sterilia saltem ex parte tenui-clavata.

Species inter magnifloras, quæ E. macrocarpa, E. megacarpa, E. Preissiana, E. calophylla, E. ficifolia, E. tetraptera, E. pyriformis, E. ptychocarpa et E. erythrocorys, ultimæ proxima, venis foliorum immersis, operculo nec depresso nec erostri, fructibus profunde plicatis neque a margine ad valvas æqualiter turgentibus jam longe discedit.

Eucalyptus pachyphylla in valle palmarum "Glen of Palms" crescit, unde intrepidus E. Giles exemplaria florigera attulit. Umbellæ capitatæ, 5–7-floræ, fere sessiles. Operculum semiovatum, sensim acuminatum, cum tubo longitudinaliter 5–7-costa-

tum, circiter semipollicare, longitudinem tubi fere duplo excedens. Filamenta flava ; longiora semipollicaria. Antheræ fere ovatæ, longitudinaliter birimosæ. Stigma stylo haud crassius.

Leguminosæ.

Swainsona colutoides.

Frutescens, *glabra*, stipulis rhombeo- v. semicordato-deltoideis, foliis pluri- v. multijugis, foliolis obovatis, racemis plurifloris breviuscule pedunculatis, floribus majusculis, pedicellis calyce florente aliquoties brevioribus, calycis dentibus tubo æquilongis, *petalo supremo ante basim bilamellato, petalis lateralibus cetera semiæquantibus*, petalis infimis omnino connatis apice paulo protractis, stylo secus totum latus interius barbato haud indurante, *leguminibus compressis conspicue stipitatis magnis membraneis inflatis cymbeo-semirotundis* ad suturam haud intrusis.

Inter Ularing et Mount Jackson ; Young ; Gawler's Range, R. F. Sullivan.

Planta pluripedalis, lignescens. Foliola sæpe $\frac{1}{2}''$ longa, concoloria. Stipulæ herbaceæ, plurilineares, persistentes. Bracteæ lanceolato-cymbeæ, pedicellum saltem semiæquantes. Bracteolæ ad calycis basim perminutæ, acutæ. Calyces vix $3'''$ longi ; dentes deltoideo-semilanceolati. Corolla monente Youngio violacea. Petalum supremum semipollicem paulo excedens, obcordato-orbiculatum ; petala lateralia præter basim oblonga, cum imis haud torta. Antheræ oblongo-lineares, basifixæ. Stylus fere semipollicaris. Stigma minutum, omnino terminale. Legumina vesiculosa, inflata fere Coluteæ, $1-1\frac{1}{2}''$ longa, acuminata, stipiti calycem duplo superanti imposita. Semina plura, funiculis capillaribus appensa, cordato-renata.

Hæc a S. coronillifolia (Salisb. Parad. Lond. t. 28, anno 1806 ; S. galegifolia, R. Br. in W. T. Ait. Hort. Kew. sec. edit. iii. 327, anno 1811) stipulis magnis, foliolis utplurimum majoribus et præcipue latioribus, pedicellis brevioribus, dentibus calycis longioribus, colore petalorum nec roseo nec lateritio, brevitate petalorum lateralium forsan constante, stylo longiore haud in rostrum durante, leguminibus evidenter incurvis quasi dimidiatis non fere æquilateris sed duplo majoribus et membraneis nec chartaceis sed fere pellucentibus stylo immutato pertenui terminatis neque stylo inferne incrassato tandem rostratis, funiculis tenuioribus, seminibus basi minus inæquilateris dignoscitur.

Petala S. coronillifoliæ lateralia passim imis æquilonga, passim dimidio breviora. Hæc ad flumen Barcoo (Schneider) usque vergit. Varietas Fraseri (S. Fraseri, Benth. Fl. Austr. ii. 224) in Novam Angliam et ad oram Rockingham's Bay extendit. Calli ad basim petali superioris interdum bene evoluti, interdum evanescentes.

S. Greyana distinguitur a S. colutoide bracteis magnis, floribus sæpe majoribus, petalis roseis vel rarius albis et leguminibus ea S. coronillifoliæ simulantibus. Hanc nunc habeo a fluminibus Lachlan's River, Murrumbidgee et Ballandool's River. Planta statu spontaneo sed non semper statu culto venenosa. Characteres, quibus Swainsona et Lessertia nisi quoque alia genera proxima a Colutea distinguuntur, potius sectionales sunt quam generales.

Guilandina Bonducella (L. Sp. Plant. edit. secund. 545) crescit in Lord Howe's Island (Moore), Curtis-Island (O'Shanesy), Cape Sidmouth (Walter), Brook-Island (Dallachy), Escape-Cliffs (Hulls). Foliola sæpe oblique ovata.

Cæsalpinia Nuga (W. T. Aiton Hort. Kew. sec. edit. iii. 32) viget ad Mackay's River et Rockingham's Bay (Dallachy), Daintree's River (Fitzalan). Habitus plantas aliquot sapindaceas æque ac Rosas in memoriam vocat. Paria foliolorum usque 4. Germen reperi unigemmulatum, quo modo hæc species jam genus Pterolobii attingit, dum germen Pterolobii lacerantis passim bigemmulatum occurrit, ut videbis apud Oliver Fl. of Trop. Africa, ii. 264. Totum pistillum junius ei Hakearum plurium æque ac Grevillearum non dissimile.

Cæsalpinia sepiaria (Roxb. Fl. Indic. ii. 360) ad Rockhampton ab O'Shanesy lecta, ubi fortasse advecta. Genus jam ante Plumierum Ammannio stabilitum, fide L. Sp. Pl. 318, ubi Amm. Herb. 604 annotabatur.

Mezoneuron brachycarpum ad flumen Tweed legit Carron.

Pterolobium nitens nunc habeo a Wide-Bay (Leichhardt), Rockhampton (Thozet). Paria foliolorum interdum duo tantum in sua pinna. Nitor paginæ foliolorum inferæ nonnunquam lenis.

Peltophorum ferrugineum a portu Darwini attulit Schultz. Antheræ ovales, infra medium disjunctæ.

Petalostylis labicheoides nunc mihi nota est a Mount Olga, Glen of Palms, Barrow's Range (Giles), Tomkinson's Range (Forrest), Fortescue's River (Crouch), a tractu toto inter Lake Eyre et Ashburton's Range (Forrest), Lachlan's River (Morton). Ipse vide plantam magna copia ad Nicholson's River.

Labichea nitida extendit ad Rockingham's Bay et Hinchinbrook's Island. Foliolum supremum usque sesquipollicare. Antherarum longior 3‴ attinens, lineari-cylindrica. Legumen lanceolato-ovale, circiter pollicare, conspicue compressum, parce pubescens. Semina sæpe 4 maturantia, septis membraneis separata, turgide ovata, nigro-fusca, lævia, 2‴ longa, strophiolam pallidam depresso-globosam $\frac{2}{3}$‴ metientem paulo peltatam haud funiculosam gerentia. Varietatem pinnatifoliam, foliolis usque 9 secus rachim sat proceram pinnatis, ad flumen Gilberti cl. Daintree reperit.

Labichea rupestris antheras ovali-cylindricas gerit.

Labichea lanceolata occurrit ad Geograph-Bay (Pries), Irwin's River (Guerin), Champion-Bay (Gray), Esperance-Bay (Forrest),

Cape Arid (Maxw.), Russell's Range (Dempster). Alabastra acuta, curvato-adscendentia. Petalum supremum ad basim macula semicirculari atropurpurea notatum. Semina fulva, striis fuscis variegata, modo L. nitidæ strophiolata.

Labichea punctata ad Geograph-Bay extendit.

Bauhinia Hookeri ad Springsure (Wuth) et Port Denison (Fitzalan) nuperius legebatur.

Bauhinia Leichhardti ad flumen Glenelg's River crescit (Martin).

Bauhinia Carroni ad Towomba (Hartmann) et Cape's River (Bowman) occurrit.

Cassia heptanthera.

(Sect. Chamæsenna.)

Suffruticosa, parum ramosa, erecta, *pilosula, foliis bijugis* rarius 3- vel uni-jugis, stipulis lineari-setaceis, stipella jugo intersita subulata, *foliolis chartaceis concoloribus oblique ovatis prominenter penninerviis* margine lenissime crenulatis, nervis recte ad marginem perductis, pedunculis umbella pluriflora longioribus, sepalis ovatis et oblongo-ovalibus, petalis calycem semisuperantibus, *staminibus septem, sterilibus nullis, filamentis omnibus brevissimis, antheris fere æqualibus erostribus,* loculis e poro terminali secus rimam lateralem imperfecte dehiscentibus, germine puberulo in stylum brevem excurrente, *legumine plano* lineari-lanceolato, funiculis longiusculis.

Ad flumen Liverpool-River ; B. Gulliver, qui plantam sub itinere Cadelli legit.

Planta spithamæa usque sesquipedalis. Foliola pleraque inter $\frac{2}{3}$ et 1″ longa, nervo marginata. Petioluli brevissimi, vix ulli. Pedunculi graciles usque bipollicares. Bracteæ angusto-lanceolatæ, circiter lineam longæ. Sepala longiora vix ultra bilinearia. Petala brevissime unguiculata. Filamenta duo ima ceteris paulo longiora. Antheræ rectæ, lineari-cylindricæ, sesquilineam vix longæ. Stylus glaber. Stigma minutum. Legumen rectum, breviter stipitatum, unicum me visum et hoc immaturum 2″ longum, 3‴ latum. Funiculi juniores lineam longi. Semina maturata mihi ignota.

Hæc Cassia ad C. oligocladam proxime venit, foliolis nunquam eximie acutis alius nervatis et numero antherarum jam se disserit.

Cassia Brewsteri pluribus locis inter flumen Tweed (Carron) et portum Rockingham-Bay (Dallachy) occurrit. Arbor usque 60′ alta. C. Javanica (L. Sp. Pl. 379) huic proxima.

Cassia lævigata (Willd. Enum. Plant. Hort. Bot. Berol. 441) nascitur ad Illawarram (Johnson), Richmond-River (Maria Hodgkinson), Rockingham's Bay (Dallachy). Ramuli cavi, septis membraneis cellulosi.

Cassia Sophera (L. Sp. Pl. 379) ad Shoalhaven (Moore), Barcoo (Birch) et Rockingham's Bay (Dallachy) usque vergit. Glandula inter par foliolorum infimum passim præsens ; glandula ad petioli basim magnitudine formaque variabilis.

Cassia magnifolia secundum exemplaria Armitii a Glen Dhu et Mount Surprise bracteas et bracteolas extus puberulas gerit. Bracteæ lanceolato-ovatæ, paulo cymbeæ, acuminatæ, membraneæ, $\frac{1}{2}$–1″ longæ, deciduæ. Bracteolæ lineam longæ, lineari-lanceolatæ, juxta calycem sitæ, fugaces. Sepala oblonga vel ovalia, circiter semipollicaria. Petala ovata, venosa, tenui-unguiculata, fere $\frac{2}{3}$″ longa. Antheræ poris apertæ ; duæ imæ arcuatæ, 4–5‴ longæ ; 5 laterales circiter 2‴ longæ ; tres supremæ pertenues, vix lineam excedentes. Filamentorum longiora tantum lineam longa. Stylus uncinatus, 2–3‴ longus. Folia usque ad ulnam longa. Altitudo fructicis usque 5-pedalis. Stipulæ interdum cordatæ et acuminatæ. Glandulæ inter foliola depressæ. Cl. Bailey quoque florentem plantam misit. Cl. Daintree hanc speciem ad Clarke's River et Delany's River reperit, in montibus tam porphyriticis quam graniticis.

Cassia venusta nuperius allata a Glen of Palms et Macdonnell's Range (Giles) et Norman's River (A. Henry).

Cassia notabilis legumen pollicare usque sesquipollicare, planum, perbreviter stipitatum, oblongo-lanceolatum producit. Hæc Cassia nobis nunc adest a Thomson's River (Birch), Macdonnell's Range (C. Giles), Mount Olga, Barrow's et Rawlinson's Range (E. Giles), Mount Worsnop (Forrest).

Cassia pleurocarpa nunc mihi anteponit a Lake Barlee (Forrest), Mount Olga, Lake Eyre, Finke's River et Macdonnell's Range (Giles). Drumm. 140. Bracteæ primum imbricatæ, ovato-orbiculatæ, pruinosæ, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longæ.

Cassia glauca (Lam. Encycl. Meth. i. 647 ; Benth in Transact. Linn. Soc. xxvii. 555 ; C. suffruticosa, Kœn. in Roth. Nov. Sp. Pl. 213) obtenta est ad Rockingham's Bay (Dallachy), Gilbert's River (Daintree), Port Darwin (Schultz). Foliola $\frac{1}{2}$–2″ longa, sæpius obtusa quam acuta. Legumen passim pedem longum. Varietates duas distingues, alteram primariam fructu majore et septato, seminibus fuscis fere opacis ; alteram legumine minore et fere eseptato, seminibus splendenti-atris. C. retusa huc fortasse reducenda.

Cassia oligoclada includit C. gonioidem (A. Cunn. in J. Hook. Icon. Plant. 1061).

Cassia australis ad Mudgee et Castlereagh's River (Woolls), Darling's Downs (Lau), Cape's River (Bowman) et Rockingham's Bay (Dallachy) extendit.

Cassia Absus (L. Sp. Pl. 376) ad Rockhampton (Bowman), Port Darwin (Schultz), Percy's Islands (Walter) usque vergit.

Cassia pumila (Lam. Diction. i. 620) ad Gainsford et Herbert's Creek crescit, uti olim Bowman demonstrabat.

Cassia concinna nascitur usque Rockingham's Bay (Armit), Mueller's River (Birch), Norman's et Gilbert's River (Th. Gulliver), Glenelg's River (Martin).

Cassia mimosoides (L. Sp. Pl. 379) in Novam Angliam extendit; præterea locos multos eis Benthamio notatis intervenientes incolit. Folia 5″ longitudinem attinent.

GOODENŒIACEÆ.

Velleya discophora.

Elatior, glauca, *glabra, paribus bractearum quibuscunque in unam orbicularum integerrimam concretis, calycibus inæqualiter quinque-partitis,* lacinia suprema majore, tubo adnato brevi, *corolla lutea* calycem duplo superante, lobis omnibus utrinque latiuscule alatis, stylo cum dorso indusii villoso-pubescente, capsula calycem æquante quadrivalvi basi tantum septigera, loculis oligospermis, *seminibus late alatis.*

Prope Ularing; Young.

Herba amara. Folia radicalia ignota. Caulis cum ramis cavus. Bracteæ inferiores in laminam usque bipollicarem connatæ, superiores magnitudine sensim decrescentes, summæ vix ultra sesquilineam longæ. Pedicelli florigeri breves vel brevissimi, fructiferi ad pollicem usque longi, sæpe autem abbreviati. Calycis tubus $1-1\frac{1}{2}'''$ longus, turbinatus; laciniæ lanceolatæ, edentulæ; laterales circiter 2‴ longæ, terminalis fere tri-linearis, omnes sub fructu paulo ampliatæ. Labium corollæ inferum medio tenus trifidum; tubus sesquilinearis; faux lanuginoso-barbellata. Filamenta tubum corollæ vix superantia. Antheræ oblongæ, muticæ. Stylus indusio parum longior. Capsula globoso-ovata, leniter compressa, circiter 4‴ longa, basi sua tubo calycis omnino accreta. Semina fulva, flavido-alata. Species eximia habitum V. perfoliatæ fere calyci Euthalis combinat.

Totum genus Velleya potius Goodeniæ sectionem sumes. Velleya cycnopotamica fortasse usque ad flumen cygnorum non extendit, quare nomen in V. purpurascentem mutare queas; corolla enim exemplarium ab Ularing e collectione præclari Jessi Youngii rosea vel dilute purpurea; ejus præterea reperi lobos omnes late alatos, tubum intus puberulum, stylum calyci æquilongum cum dorso indusii glabrum.

Velleya Daviesii.

Pubescens, *foliis radicalibus pinnatipartitis,* lobis cum foliis caulinis bracteisque irregulari-dentatis, bracteis liberis vel rare breviter connatis cordato- vel ovato-lanceolatis acuminatis, *sepalis quinque ovatis acuminatis, superioribus argute dentatis, corolla*

calycem breviter superante profunde labiata, alis loborum pallescentibus, stylo superne pubescente longitudinem indusii pilosuli ore ciliosi parum excedente, capsula calycem semiæquante basi tantum septigera, loculis oligospermis, seminibus late alatis.

Prope Ularing; Young.

Herba circiter sesquipedalis, amara. Folia radicalia 4–5″ longa, petiolo paucipollicari prædita; lobi circiter unciales, superiores partim confluentes, inferiores satis angusti, omnes dentibus paucis majusculis acutis præditi. Bracteæ inferiores sive folia caulina usque 2″ longa, late lanceolata, dentigera. Cyma caulem terminans, folioso-bracteata, dichotoma, pauci- usque pluripollicaris, summitatibus confertiflora. Pedicelli plerique calyce breviores. Segmenta calycis circiter semipollicaria; supremum acumine excepto dentatum; cetera integerrima vel lateralia semidentata. Corolla ecalcarata, forsan purpurascens, saltem non lutea; labium inferum infra lobos albo-barbatum; segmenta 2 supera intus ample auriculata; lobi 3 inferi truncato-alati. Filamenta antheris lato-linearibus muticis æquilonga. Stylus crassiusculus, bilinearis. Capsula compresso-globosa, extus intusque glabra. Semina vix matura fulva, livide alata.

Approximatio hujus speciei ad V. connatam erit; disjungitur autem indumento, absentia glaucedinis, divisione foliorum radicalium profunda, bracteis utplurimum liberis, dentatione copiosa sepalorum, tandem alis corollæ latioribus.

Plantam memorabilem dicavi honorabili Carolo Davies, M.D., Senatus superi coloniæ South Australia nuncupatæ diu membro, consilii cui hortus botanicus ibidem commissus est sodali.

Dampiera luteiflora.

Pilis ramosis tomentosa, foliis obovato- vel oblongo-lanceolatis planis integerrimis, racemis pauci- vel plurifloris longiuscule pedunculatis, *corolla extus pilis flavescentibus vel fulvescentibus ramosis densissime lanoso-tomentosa intus apice tenus intense lutea*, antheris obtusis, stylo glabro.

Prope Ularing; Young.

Caulis exemplarium suppetentium fere pedalis. Folia 1–2″ longa, 3–9‴ lata, tomento albido eo inflorescentiæ parciore vestita. Pedunculi 3″ attinentes, sed fere semper varie breviores. Pedicelli 1–2‴ longi. Calyces tomento prælongo occulti. Corolla fere semipollicaris, intus glabra; alæ haud latæ; auriculum lobi utriusque superioris nigrescens. Antheræ flavæ. Stylus 2–3‴ longus. Indusium nudum. Fructus statu provecto postea examinandus.

Color vestimenti racemorum et is corollarum internus faciem singularem huic novæ speciei imprimunt.

D. trigona et D. alata in Josephi Daltonis Hookeri Iconibus Plantarum sub 1026 et 1027 illustrabantur.

Dampiera Wellsiana.

D. eriocephala, var. concolor, F. M. in Benth. Flor. Austr. iv. 120.

Herbacea, *foliis præter bractealia omnibus radicalibus glabris concoloribus* spatulato-lanceolatis integerrimis vel crenulatis indistincte nervosis, caulibus imperfecte pubescentibus, *capitulis terminalibus* passim in racemos elongatis folia abbreviata ovalia modo involucri gerentibus, *corollis parvis, lobis omnibus utrinque anguste alatis* extus præter alas cum tubo sericeo-villosis, antheris obtusis, stylo glabro.

In Australia occidentali extratropica fere litorali, Drummond (162); prope Mount Elizabeth, Julia Wells.

Planta adspectu Brunoniæ, a D. eriocephala specifice separabilis indumento parciore in foliis absente, nervis foliorum haud prominentibus, tomento florum breviore, corollis minoribus, alis loborum conspicue angustioribus in altero loborum superiorum latere non fere deficientibus.

Dampiera eriocephala Primulis quasi mimica in collectionibus Drummondi sub 55 et 397 exstat. Corolla interdum alba, passim monstrose 6-loba. Caulis nonnunquam ad 3″ abbreviatus.

Dampiera stricta in Novam Angliam et per provinciam Gippsland extendit et in Tasmania saltem usque Swanport (Story) occurrit.

Dampiera rosmarinifolia ad Gawler's Range a Richardo Sullivan reperta est.

Dampiera hederacea ad Geograph-Bay (Pries) et Warren's River (Walcott) silvas imprimis Eucalypti diversicoloris incolit.

Goodenia xanthosperma.

Herbacea, suffrutescens, decumbens, *foliis* radicalibus elongato-lanceolatis, caulinis rhombeo- vel lanceolato-ovatis, omnibus *serrato-dentatis subtus cum caulibus albo-tomentosis* supra glabris, pedunculis folia longe superantibus 1–3-floris, bracteolis brevibus subulato-linearibus calyci approximatis, dentibus calycis subulatis, corollæ bilabiatæ luteæ lobis omnibus æqualiter alatis, stylo pubescente, capsula ellipsoidea alte septata basi attenuata polysperma, *seminibus flavis apteris.*

Ad fontes Victoriæ et prope Ularing ; Young.

Planta ulnaris. Folia radicalia 2–3″ longa, in petiolum longiusculum contracta ; caulina breviuscule petiolata, pollicaria vel breviora. Pedunculi graciles, fere glabri. Pedicelli unciales vel sæpe breviores, haud geniculato-refracti. Calyces albo-tomentelli, nervoso-striati. Corolla circiter $\frac{2}{3}$″ longa. Stamina brevia. Indusium dorso parce barbatum. Capsula fere $\frac{2}{3}$″ longa. Semina numerosa, ovalia, lineam metientia, parum scabriuscula, in quoque loculo biseriata.

Hæc species approximat G. hederaceam, abs qua foliis sæpe angustioribus et acutioribus, calycibus longioribus, corollis majoribus extus glabris, capsula longiore, septo capsulæ altiore, seminibus tenuioribus nec lividis nec in capsula tantum paucis separanda. Cl. Hartmann autem varietatem forsan G. hederaceæ (nisi G. glabræ) corollis extus glabris a fluvio Severn attulit. Varietas G. hederaceæ latifolia per alpes nostras ample extendit.

Goodenia Ramelii, cujus varietatem floribus majoribus et panicula copiose glandulosa sed parum pilosa a fontibus Victoriæ cl. Young attulit, folia gerit radicalia 4–6″ longa, oblongo-lanceolata, glabra, in basim latiusculam petiolarem angustata, denticulata.

Verbenaceæ.

Chloanthes Elderi.

Humilior, ramis foliisque lanugine albida tomentosis, *foliis rugosissimis oblongis margine late revolutis* lata basi sessilibus, spicis foliatis, *bracteis calycibus corollisque lanugine densissima rubra vel lutea tomentosis,* bracteis lanceolato-ovatis bracteolas ovales longe excedentibus, calycis segmentis late subulato-linearibus tubo corollæ brevioribus, *corollæ labio superiore inferius conspicue superante,* inferioris laciniis deltoideo-semilanceolatis breviusculis fere æqualibus, staminibus duobus inferis sterilibus, superis duobus exsertis et anthera hastato-ovata exappendiculata præditis, stylo glabro, germinis vertice tomentoso.

Ad scaturigines Victoria-Springs (tomento florum rubro) et prope Ularing (tomento florum luteo) ; Young.

Planta spithamæa usque sesquipedalis. Folia mollia, $\frac{1}{2}$–1″ longa, non decurrentia, suprema sensim abbreviata. Pili inflorescentiæ ramosissimi. Bracteæ circiter 3‴ longæ. Calycis segmenta fere trilinearia. Corolla coccinea v. flavescens ; tubus sursum late ampliatus, supra basim intus annulo ciliorum barbatus. Stamina sterilia inclusa, quorum antheræ diminutæ et cassæ. Antheræ fertiles fere lineam longæ. Stylus pollice paulo brevior. Stigma perminutum, bidentatum. Fructus statu maturo incognitus.

Planta C. Bartlingi proxima ; folia autem undique tomentosa haud rigidula ; pili inflorescentiæ nec albi nec simpliciusculi ; corollæ longiores ; labia haud æquilonga ; antheræ inferiores minus evolutæ. C. coccinea colore corollarum affinis est ; diversitatem autem C. Elderi probant folia non decurrentia sed latiora et copiosius tomentosa atque coloratio calycum et bractearum. Speciem hanc novam elegantem dicavi viro illi generosissimo, qui omnes sumtus tertii itineris Gilesii sustinuit.

In genere propter antherarum duas cassas sectionem scorsam Hemiphora dicendam sistit.

Chloanthes loricata.

Pityrodia loricata, F. M. coll.

Humilior, *undique præter corollas argenteo-lepidota,* foliis oppositis vel fere sparsis lanceolato-oblongis planis, floribus axillaribus solitariis geminis ternisve fere sessilibus, calycis laciniis subulato-semilanceolatis tubum corollæ æquantibus, corolla extus glabra, staminibus breviter exsertis, *antheris minutissime appendiculatis,* stylo glabro, fructu obconico-pyriformi.

Ad fontes eremi Victoria-Springs, nec non ad Ularing (Young).

Exemplaria nostra spithamam usque pedem alta. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, $1\frac{1}{2}$–3‴ lata, basi sessilia sed non decurrentia. Bracteolæ sesquilineares, subulato-lineares. Calyces 3‴ longi, vix ultra medium fissi. Corolla semipollice paulo brevior; labium superum obtuse bidentatum, infero obtuse trilobo paulo brevius; faux sericeo-barbata, labium medium versus villosula. Antheræ fere cordatæ; loculi inferne longe soluti. Stylus setaceus, circiter 3‴ longus. Stigma brevissime divisum. Germen stellari-sericeum. Fructus fere $2\frac{1}{2}$‴ longus, 4-loculatus, parum tomentellus. Semina erecta, basifixa, cylindrica, in basim sensim acutata, apice obtusa, fere $1\frac{1}{2}$‴ longa. Testa membranea, tenerrima, pallida. Albumen conspicuum. Embryo albumine paulo brevior, oblongo-cylindricus.

Chloanthes halganiacea.

(Sect. Brachysolenia.)

Humilis, cano-velutina, *foliis parvis ovato- vel oblongo-lanceolatis* margine revolutis omnibus opposite confertis floralibus in bracteas transientibus, *paniculis racemiformibus,* calycibus breviter vel brevissime pedicellatis parvis mediotenus in lacinias semilanceolatas fissis, *corollæ fere rotatæ tubo brevissimo* intus imberbi, lobis lateralibus superiores paulo excedentibus quibuscum rotundatis, infimo fere ovato conspicue brevioribus, staminibus exsertis, *antheris omnibus exappendiculatis,* germine cum stylo glabro.

In vicinia montis Churchmani; Young.

Fruticulus habitu Halganiæ, spithamæus nisi forsan altior. Folia $\frac{1}{2}$–1″ longa, concoloria, sessilia, haud decurrentia. Panicula tripollicaris vel brevior. Bracteæ ovato- vel angusto-lanceolatæ, superiores sesquilineares, inferiores sensim longiores. Pedunculi secundarii valde patentes, semipollicares vel breviores. Bracteolæ minutæ. Calyces 2‴ longi. Corolla purpurascens, diametro semipollicaris, extus stellari-tomentella. Stamina 4 glabra, inferiora paulo longiora; filamenta circiter sesquilinearia. Antheræ cordato-ovatæ, dorsifixæ; loculi longitudinaliter bivalves. Stylus terminalis, capillaris, 2–3‴ longus. Stigma minutum, acute bidentatum. Germen depresso-globosum, quadrisulcatum. Fructus ignotus.

Planta in genere abnormis, tubo corollæ fere nullo eandem rationem ad Chloanthem et Pityrodiam tenet, quam Myoporum ad Eremophilam et Bæa ad Streptocarpum, quare sectio Brachysolenia facile ad genus tollenda.

Dicrastylis Nicholasii.

Tomento lanuginoso cinerascens, foliis sparsis vel oppositis sessilibus majusculis oblongis vel ovalibus rugosissimis margine angusto-recurvis, paniculæ *capitulis longe pedunculatis plurifloris, calycum segmentis linearibus acutis,* corollæ cœruleæ lobis semioblongis pilosis tubo intus barbato fere triplo brevioribus, stylo cum cruribus præter apices dense pubescente.

Ad fontes eremi Victoria-Springs ; Young.

Folia inferiora $\frac{2}{3}$–1″ longa, superiora sensim breviora, floralia cum pedunculis sæpe alterna, omnia foveolato-impressa et bullulato-tuberculata. Pedunculi capitulorum unciales vel breviores, saturate purpurascentes. Bracteæ 2‴ attinentes, lanceolatæ. Capitula semipollicaria. Calycis segmenta fere sesquilineam longa. Corollæ tubus calycem æquans. Stamina lobos corollæ æquantia. Antheræ flavescentes, majusculæ. Styli crura e tubo emersa, parte indivisa paulo breviora. Germen albo-tomentosum. Fructus incognitus.

Species dicata Guilielmo Nicholas, Societatis Geologicæ Londinensis sodali, plantarum fossilium Australiæ assiduo collectori.

Dicrastylis parvifolia ad Ularing nascitur (Young).

Dicrastylis Gilesii ad Victoria's Spring lecta a Young, ea quidem varietate, quæ folia minora, lobos corollæ intus glabros et antheras breviores producit.

Mallophora globiflora ad Mount Churchman inventa eodem peregrinatore.

Newcastlia chrysotricha.

Erecta, ramis tomento tenui flavido mox pallescente velutinis, *foliis lato-linearibus* margine revolutis supra parce glanduloso-puberulis subtus tomentellis, *spicis aureo-tomentosis* solitariis paucisve terminalibus, bracteis fere lanceolatis, calycis dentibus deltoideis tubo saltem duplo brevioribus, *corollæ dentibus deltoideis* obtusiusculis suo tubo fere ter brevioribus, staminibus inclusis, stylo perbrevi, germinis vertice tomentello.

Prope scaturigines Victoria-Springs ; Jess. Young.

Folia conferta, verticillaria vel sparsa, sessilia, pollicaria vel paulo longiora. Spicæ e verticillis florum inferioribus paulo dissitis, superioribus autem dense confertis formatæ, triunciales vel breviores. Bracteæ bi–trilineares, unguiculatæ, extus luteo-tomentosæ. Calyces sessiles, 2‴ longi et lati. Corolla calycem breviter superans, extus glabra ; tubus intus albo-villosulus. Stamina fere ad lobos corollæ extendentia. Stylus linea paulo brevior basin versus pilosulus. Stigmata duo minuta. Fructus ignotus.

Quintam hancce Newcasteliam a ceteris facile distingues. A N. bracteosa, cui proxima et loco natali adsociata, foliis bracteisque angustioribus, illis supra fere glabris, pedunculis brevioribus vel sæpius absentibus, indumento spicarum luteo, lobis corollæ haud acutis, brevitate staminum stylique jam discernitur.

Newcastlia hexarrhena.

Erecta, ramorum tomento densissimo e fulvido pallescente, foliis lanceolato-oblongis fere planis utrinque albido-tomentosis, spicis elongatis ternis vel solitariis, bracteis caducis rhombeo-cordatis longiuscule stipitatis, *floribus hexameris rarius pentameris, calycibus lanugine longa densissima candida cohærentibus* mediotenus fissis, corollæ purpurascentis lobis deltoideis acuminatis tubo intus albo-barbato fere triplo brevioribus, *filamentis alte adnatis conspicue exsertis*, antheris mediotenus patule lobatis, capsula fere globosa glabrescente perfecte quadriloculata.

Inter fontes Victoria-Spring et Ularing ; Young.

Planta quidem facie memorabilis, sed N. bracteosæ arcte cognata, differe videtur foliis majoribus cum ramis densius vestitis, bracteis conspicue stipitatis, lana spicarum longissima, divisione florum senaria prævalente, corollis majoribus intus albo-barbatis, antherarum loculis longius solutis, stylo longiore.

Planta ut multæ aliæ e regionibus eremorum, ubi species insolite variant, ampliore examine eget.

Spicæ N. bracteosæ passim solitariæ et laciniæ corollarum nonnunquam inferne deltoideæ.

Myoporinæ.

Eremophila Youngii.

Tomento tenuissimo demum evanescente obducta, *foliis oppositis lineari-lanceolatis planis* glabrescentibus, pedicellis solitariis calyce paulo longioribus, *calycis segmentis brevibus semilanceolato-subulatis,* corolla rubella extus floccoso-tomentella calycem multoties superante, labiis tubo haud valde turgente fere imberbi pluries brevioribus, supero breviter bidentato lacinias labii inferi semilanceolato-deltoideas superante, germine tomentello quadrigemmulato, *drupa exsucca conico-ovata* acuta calycem duplo excedente.

Inter fontes Victoriæ et Ularing ; Young.

Ramuli glanduloso-tuberculati. Folia breviter petiolata, $1-1\frac{1}{2}''$ longa, circiter sesquilineam lata, recurvo-acuminata. Pedicelli sursum incrassati. Calycis segmenta circiter sesquilineam longa, ætate fere immutata, haud imbricata. Corolla uncialis ; tubus sursum leniter ampliatus. Stamina longiora corollam æquantia. Filamenta prope basim pubescentia. Stylus pollice paulo longior,

capillaris, glaber. Drupa 3–4‴ longa, quadriloculata. Semina 4 vel pauciora.

Hinc E. santalinam, illinc E. Dalyanam accedit ; illam, quæ proxima, distinguunt glabrities, folia sparsa et longiora, pedicelli longiores, germen glabrum.

Præclarus collector eodem loco varietatem E. Paisleyi foliis dimidiato-ovatis igitur dilatatis reperit.

LABIATÆ.

Prostanthera Eckersleyana.

Breviter pubescens, *vernicoso-viscida, foliis parvis fere sessilibus ovato- vel deltoideo-rhombeis crispis irregulariter obtuso-dentatis,* floribus axillaribus brevissime pedicellatis, bracteolis lanceolato-ovatis calyce triplo brevioribus, calycis labiis deltoideo-semiovatis, supero inferum breviter excedente, corolla extus glabrescente, labio inferiore superum modice superante, *antherarum appendice altera loculum paulo v. dimidio superante,* stylo glabro.

Prope montem Churchmanii ; Young.

Fruticulus saltem usque ulnaris. Folia 2–3‴ longa, crassiuscula. Calyces 3–5‴ longi, nervoso-striati. Corolla semiemersa, forsan violacea ; lobi 2 superi deltoideo-semiovati, lateralibus rotundatis vix breviores ; lobus infimus orbiculari-obcordatus ; tubus intus latere inferiore hispidulo-barbatus. Antheræ e corollæ fauce emersæ. Stigma indivisum. Carpidia ovata, foveoloso-reticulata, glabra.

P. euphrasioides, quæ nuper ad flumen Dawsoni inventa, dignoscitur copia visci parca, foliis longioribus et sæpe angustioribus, bracteolis minus latis, floribus conspicius pedicellatis, corollis brevioribus, antherarum calcare altero valde elongato. Species pulchella Florenciæ Eckersley, amicæ præclari inventoris dicata.

Prostanthera Grylloana.

(Sect. Klanderia.)

Præpatenti-ramosa, ramulis perbreviter pubescentibus, *foliis minutis glabris spatulato-rhombeis complicatis undulato-crenatis* in petiolum longe decurrentibus, pedunculis racemoso-paucifloris ramulos terminantibus, *pedicellis brevissimis, calyce fere truncato* pæne glabro parumper labiato, bracteolis caducis, *corollæ coccineæ extus parce puberulæ labio supero inferum excedente,* tubo calycem aliquoties superante sensim ampliato, labiis tubo corollæ fere ter brevioribus, *lobo infimo ovato,* lateralibus semiovato-deltoideis, supremis oblique semiorbiculatis, staminibus inferioribus corollam æquantibus, *antherarum calcare altero longitudinem loculi duplo excedente.*

Circum Ularing in eremo ; Young.

Frutex congenerum instar odorativus. Rami satis robusti. Folia additis innovationibus fasciculato-conferta ; lamina 1–1½‴ longa, crispata, concolor, interdum orbiculata ; pars quoque petiolaris 1–1½‴ longa. Pedunculi perbreves. Bracteolæ cito deciduæ nisi minutissimæ. Calyces 2–3‴ longi, sinubus duobus lenissimis vix labiati, glandulis conspersi, inferne decemstriati. Corolla circiter ¾″ longa, intus imberbis ; lobi ciliolati. Stamina supera inferis paulo breviora. Stylus pollice paulo brevior, glaber. Stigmatis lobi minuti, obtusi. Carpidia maturata me nondum visa.

Planta sat memorabilis corollæ formam Klanderiæ cum antheris longe calcaratis inter Euprostantheras tantum obviis combinat. A proxima P. coccinea, quæ montes Gawleri attinet, nostram novam separavi forma foliorum, dispositione florum, bracteolis haud diu persistentibus saltem non conspicuis, calycum labiis valde abbreviatis, tubo quoque horum breviore, calcare antherarum procero.

Speciem pulchellam sancivi illustri Marchionæ Ristori de Gryllo, scenicæ tragœdiarum nostro in ævo præstantissimæ, colonias Australiæ nuperrime visitanti et nobilibus inspirationibus admodum delectanti.

Prostanthera chlorantha ad Spencer's Gulf in York's Peninsula ab exploratore Tietkens lecta est.

Wrixonia.

Calycis labia indivisa, fere æqualia, post anthesim conniventia ; tubus decemstriatus. Corollæ tubus brevis cylindricus, fauce ampliatus ; labium superum emarginatum, infero trilobo brevius. *Stamina inferiora fertilia ; antheræ biloculatæ, exappendiculatæ. Stamina superiora antheram perminutam cassam gerentia.* Stylus summo apice brevissime bifidus. Carpidia oblique obovata, reticulata.

Fruticulus Australiæ occidentalis extratropicæ spinescens, foliis parvis oppositis, floribus in apice ramulorum breviter racemosis infra calycem minute bibracteolatis.

Genus a Prostanthera, cujus odorem spargit, altero antherarum pari suppresso removendum.

Wrixonia prostantheroides.

In vicinia montis Churchmani ; Young.

Fruticulus 1–2-pedalis, breviter pilosulus. Rami et ramuli patentes, teretiusculi ; ultimi spinescentes. Folia sessilia vel brevissime petiolata, cordata vel in formam rhombeam vel orbicularem vergentia, 1–2‴ metientia, flexione supra concava. Pedicelli oppositi, lineam circiter longi. Calyces fere 3‴ longi, glandulis conspersi ; tubus labiis semiovatis vel antice rotundatis æqui-

longus. Corolla extus glabra ; tubus calycem æquans, supra medium intus parce lanuginosus, inferne tenuis ; labia tubo breviora ; lobi labii inferioris laterales rotundati, lobo medio quadrato-orbiculato paulo breviores ; faux punctata. Stamina fertilia corollam æquantia, sterilia inclusa. Stylus 3–4‴ longus, capillaris. Carpidia vix lineam longa. Embryo perfectus in exemplaribus examinatis non obvius.

Genus dicavi honorabili Henrico Joanni Wrixon, per plures annos rerum juridicarum apud nos Ministro, scientiarum artiumque in nostra colonia præsapienti et erudito promotori.

Planta, si intra Prostantheram inclusa, P. Wrixoni dicenda.

Hemigenia brachyphylla.

(Sect. Pentodonta.)

Viscida, puberula, *foliis oppositis brevibus tenui-teretiusculis* supra unisulcatis, floribus brevissime pedicellatis solitariis, *calycis dentibus quinque deltoideis acuminatis* tubo fere duplo brevioribus, corolla extus breviter pubescente, lobo infimo ceteris paulo longiore, fauce parco-pubescente, antherarum superiorum loculo altero casso penicillari-barbellato, stylo glabro.

Prope Ularing ; Young.

Folia quadrilinearia et varie breviora, semilineam crassitie vix excedentia, obtusiuscula. Bracteolæ lanceolatæ, tubo calycis duplo breviores. Calycum dentes circiter lineam longi. Corolla vix semipollicaris ; labia tubo breviora. Stamina quoque inferiora quam corolla evidenter breviora. Stylus capillaris, fere 4‴ longus. Carpidia reticulata, glabra.

Discrimina, quibus hæc species ab affini H. teretiuscula discernitur, indumentum, folia breviora et lobi calycis minus acuminati præbent. Gradus versabilitatis verus investigandus. Quartam etiam nomen sectionale in Dichantheram mutavi propter Diplantheram inter Bignoniaceas.

Solanaceæ.

Anthocercis Odgersii.

(Sect. Cyphanthera.)

Pilis ramosis dense *tomentosa, foliis planis orbiculari-ovatis, floribus sessilibus* vel brevissime pedicellatis inter folia congestis, calyce tubum corollæ glabræ æquante mediotenus in lacinias semilanceolatas fisso, lobis corollæ tubo suo æquilongis ovali-semilanceolatis, pistillo glabro.

Ad fontes Victoriæ ; Young.

Planta habitu Anthotroches Blackii. Indumentum e pilis albidis longiusculis polycladis intricatis constans. Folia $\frac{3}{4}$–1$\frac{1}{4}$″ longa, mollia, herbacea, tenuius lanata quam rami. Calyces 2–3‴ longi,

extus tomentosi. Corolla tenera, forsan alba. Stamina didynama, tubo corollæ superata. Filamenta inferne dilatata et pilosula. Stylus capillaris, vix sesquilinearis. Stigma perminutum. Fructus ignotus.

Planta in systemate prope A. albicantem stabit, signata nomine præclari W. H. Odgers, Ministro coloniæ nostræ primario adjuncti, scrutationes meas phytologicas libenter promoventis.

Duboisia Hopwoodii.

Anthocercis Hopwoodii, F. M. Fragm. Phytogr. Austral. ii. 138; Benth. Flor. Austr. iv. 480.

Fruticosa, *foliis angusto-lanceolatis vel lato-linearibus recurvo-acuminatis*, calycibus longitudine sua sæpe latioribus corolla pluries brevioribus, baccis globosis.

Ad flumen Darlingi, Beckler; prope montem Liebigi, E. Giles; prope fontes Victoriæ et Ularing, sicut in vicinia montis Churchmanii, Young; in Australia occidentali fere litorali, Drummond.

Fructus ei D. myoporoidis similis, nisi semina paulo tenuiora.

PROTEACEÆ.

Conospermum Toddii.

(Sect. Euconospermum.)

Foliosum, præter spicas glabrum, *foliis longis tenui-filiformibus* parum acutis, pedunculis elongatis ramulos terminantibus spicas breves duas pluresve gerentibus, *calycibus breviter sericeo-pubescentibus*, tubo bracteas ovatas apiculatas superante *labiis inæqualibus* longiore, labio supero laciniis labii inferi saltem duplo latiore, filamentis valde turgentibus, antherarum lateralium loculo altero mutico, loculis antheræ infimæ subulatis, stylo sursum incrassato, stigmate fere galeato.

Ad fontes Victoriæ; Young.

Frutex pauci- nisi pluripedalis. Folia digitum ad spithamam longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}'''$ crassa, haud canaliculata. Pedunculi primarii et secundarii 1–2″ longi. Spicæ pauci- et densifloræ. Calyces circiter 3‴ longi, albidi, nisi forsan statu recente ochroleuci. Bracteæ lineam paulo excedentes. Calyces forma C. patentis, intus glabri. Antheræ iis congenerum conformes. Stylus sub anthesi 2‴ longus, glaber, dodrante inferiore capillaris, tunc multo crassior. Stigma recurvum. Germen turbinato-obconicum, sericeum, comosum. Fructus incognitus.

Speciem hancce novam sancio Carolo Todd, electro-telegraphi per hanc quintam telluris partem constructori, climatisque præsertim in provincia medio-australi primario observatori.

Fasciculus LXXXI. editus Januario 1876.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXII.

Sterculiaceæ.

Commersonia melanopetala.

Erecta, *foliis majusculis obliquo- vel rhombeo- vel cordato-ovatis* crispatis inæqualiter crenatis et paulo lobatis supra glabriusculis subtus cum petiolis ramulis et florescentia cano-velutinis, stipulis latiusculis, cymis sæpe compositis breviter pedunculatis, *calycibus parvis* ante expansionem obtusis et vix angulatis, *petalis in laminam obovato-cuneatam fere spatulatam calyce vix aut paulo longiorem productis cum staminodiis atropurpureis*, staminodiis glabris, lateralibus uncinato-subulatis medio lanceolari multo brevioribus, stylis perbrevibus, capsula parva velutino-tomentosa brevissime echinulata.

Ad scaturigines Victoria-Springs ; Young.

Folia bene evoluta $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}''$ longa, petiolo $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ metiente predita, margine haud revoluta. Stipulæ diu persistentes, 2–3''' longæ, ovato-lanceolatæ, sæpe dentatæ, passim laciniatæ. Paniculæ foliis oppositæ, e cymulis fascicularibus constantes, sesquipollicares vel breviores. Pedicelli 1–2''' longi, raro longiores. Bracteæ perangustæ. Calyces saltem medio tenus fissi ; laciniæ deltoideo-semilanceolatæ, lineam vix excedentes, intus præter apicem glabræ. Petala ad basim tantum dilatata et parum inflexa. Staminodia intermedia plana, fere lineam longa. Capsula depresso-globosa, matura autem ignota. Semina in loculis sæpe solitaria.

Species jam petalorum colore fere nigrescente insignis, a C. crispa propter latitudinem stipularum, folia majora et alius formæ, flores minores, calycum lacinias pro longitudine latiores, petala fere exserta facile divellitur.

Commersonia densiflora (Ruelingia densiflora, Benth. Flor. Austr. i. 241) habitat ad flumen Greenough's River (C. Gray) et ad portum Champion's Bay (Guerin).

Commersonia dasyphylla (Andr. Bot. Repos. t. 603) in tractu Blue Mountains a Ludovica Calvert et in montibus Buffalo-Ranges me ipso lecta fuit.

Commersonia laxophylla (Ruelingia loxophylla, F. M. Fragm. i. 68) petalorum colore luteo a congeneribus forsan omnibus recedit.

Commersonia echinata (R. et G. Forst. Char. Gener. 43, t. 22) nuperius ab Rockingham's Bay et in Dunk-Island reperta est.

Commersoniæ genus Ruelingias optime includit; dehiscentia capsulæ nullum discrimen certum offert; atque in Keraudreniæ genere finitimo præsentia vel absentia staminodiorum pro distinctione tantum specifica sufficit.

Commersonia Leichhardti occurrit ad Expedition-Range et Gainsford (Bowman), nec non trans Rockingham's Bay (Armit) et prope Springsure (Wuth). Frutex 2–3′ altus. Stipulæ lineari-setaceæ. Folia nunquam cordata, eis C. magnifloræ similia. Petala inferne in lobos longos extensa. Staminodia interdum pallida.

Commersonia pulchella ad Champion-Bay crescit fide collectionis Guerinæ.

Commersonia magniflora in valle Glen of Palms nascitur (Giles).

Myrtaceæ.

Wehlia.

Calycis lobi scariosi, persistentes, integerrimi. Petala decidua. *Stamina circiter* 20, *libera*, brevissime exserta, decidua. Filamenta capillaria. *Antheræ versatiles;* loculi paralleli, antrorsum longitudinaliter dehiscentes. Stylus capillaris. Stigma minutissimum. *Germen uniloculare, bigemmulatum. Capsula evalvis,* tubo calycis perfecte occulta. *Semina erecta, basifixa.*

Fruticuli Australiæ occidentalis extratropicæ, *foliis sparsis,* floribus axillaribus solitariis vel in apice ramulorum confertis, petalis calycis lobos breviter superantibus, bracteolis persistentibus, floribus purpureis, fructibus minutis.

Genus a Thryptomene (incluso Micromyrto) recedens numero staminum, elongatione filamentorum, structura antherarum et sparsione foliorum; a Bæckea (inclusa Scholtzia) sicut Kunzea et Hypocalymmate divergens gemmulis tantum duabus et earum situ, cavitate fructus indivisa, pericarpio haud valvato, sacratum præcaro meo Eduardo Wehl, M.D., nunc præcociter defuncto atque dicatum meæ sorori dilectæ Claræ Wehl, per annos ad nostras collectiones phytologicas benignis contributoribus.

Wehlia thryptomenoides.

Fere glabra, *foliis perbrevibus ovato-oblongis trigonis* margine scabris apice minute mucronulatis, bracteis fere foliiformibus, *floribus in apice ramulorum paucis pluribusve sessilibus,* brac

teolis rhombeo-orbicularibus cymbeo-complicatis, lobis calycis orbiculatis omnino hyalino-scariosis, *tubo calycis semiovato valde compresso, verticis altero latere ample intruso*, petalis ovato-lanceolatis, styli basi semiadnata.

In eremis inter fontes Victoria-Springs et Ularing ; Young.

Frutex ramosissimus. Folia 1–1½‴ longa, carinata. Bracteæ fulvescentes, solitariæ. Bracteolæ calycis tubo arcte appressæ et eum fere occultantes, muticæ, carinatæ, inferne connatæ. Tubus calycis striolatus, vix ultra lineam altus ; lobi orbiculares 1–1½‴ metientes. Petala acuta. Antheræ luteæ, dorsifixæ, a medio ad apicem dorsi usque glanduloso-tumescentes. Stylus 2–3‴ longus. Fructus linea vix amplior. Semina ovalia.

Wehlia coarctata.

Glabra, *foliis brevibus tenui-teretiusculis* parum angulatis vix apiculatis, bracteis minutis cymbeo-lanceolatis, *pedicellis solitariis tubo calycis longioribus*, bracteolis renato-orbicularibus, lobis calycis cuneato-obovatis semiscariosis, *tubo calycis turbinato inter limbum et verticem planum constricto*, petalis lanceolato-obovatis, styli basi a tubulo cingente libera.

Prope Mount Churchman ; Young.

Ramuli tenues, sparsi. Folia brevissime petiolata, 2–4‴ longa, ½–⅔‴ crassa. Pedunculi nulli. Bracteæ solitariæ, ad basim pedicelli sitæ, vix lineam excedentes. Pedicelli axillares, 1½–2‴ longi, sursum incrassati. Bracteolæ lineam altæ, parum carinatæ, ample imbricatæ. Calycis tubus bracteolis occultus, decem-striatus, vix lineam superans, subito in collum brevissimum limbigerum coarctatus ; lobi circiter sesquilineam longi, margine late scariosi. Petala obtusa. Antheræ eis congeneris similes. Stylus 2–3‴ longus. Calycis tubus fructifer vix mutatus. Placenta brevissima, basilaris. Semina ovata, perminuta.

Thryptomene stenocalyx.

(Sect. Micromyrtus.)

Glabra, foliis perbrevibus ovatis subtus convexis et paulo glanduloso-tuberculatis supra planiusculis vel leniter concavis, pedicellis axillaribus solitariis brevissimis, *tubo calycis pertenui compresso-cylindraceo apice ampliato omnino exsulco, petalis minutis flavidis lobos calycis brevissimos fere truncato-obtusos aliquoties superantibus*, staminibus decem, antheris cordatis, stylo brevissimo, germine bigemmulato.

Ad scaturigines Victoriæ ; Young.

Fruticulus adspectu Eriostemonis difformis. Folia 1–1½″ longa, subito in petiolum brevissimum contracta, nec ciliata, nec carinata, nec mucronata. Pedicelli foliis breviores. Bracteolæ caducæ,

cuneato-lanceolatæ, cymbeo-complicatæ, linea paulo breviores. Calycis tubus sesquilineam vix excedens, flavidulus, non foveolatus. Petala ovata, circiter $\frac{2}{3}'''$ longa. Antheræ perminutæ, brunneæ, brevissime apiculatæ. Filamenta flava, antheris vix longiora. Stigma stylo parum crassius. Fructus maturus mihi ignotus.

Species colore petalorum aliquotenus ad T. flavifloram vergit; a T. ericæa recedit foliis crassioribus et brevioribus tuberculato-glandulosis, tubo calycis graciliore haud striato, lobis ejusdem admodum abbreviatis, petalis nec albis nec roseis, numero staminum et forma antherarum; a T. elobata differt foliis obtusioribus tuberculatis non sensim in petiolum desinentibus, tubo calycis paulo longiore et tenuiore striis orbato, lobis hujus distinctius formatis quamquam perbrevibus, colore et obtusione petalorum, antherarum loculis minus turgentibus.

Thryptomene auriculata.

Glabra, foliis perbrevibus ovato- vel oblongo-trigonis muticis lævibus haud carinatis fere sessilibus, pedunculis pedicellisque nullis, bracteolis persistentibus cymbeo-rotundis margine albidis, *calycis lobis renato-cordatis margine petaloideis et basi auriculato-protractis* petala vix semiæquantibus, tubo semiovato læviusculo turgido non costato, *staminibus quinque lobis calycis oppositis, antheris deorsum in glandulam clavatam loculos superantem extensis*, stylo tenuissimo, germine e placenta fere basali paucigemmulato.

Prope stationes Youldeh et Ouldabinna, nec non montes Musgrave's Range versus; Tietkens et Young.

Frutex nisi fruticulus valde ramosus. Folia circiter lineam longa, infra articulationem phyllopodio eburneo decurrenti incidentia. Flores solitarii. Bracteolæ tubo calycis paulo breviores. Lobi calycis imbricati, parum denticulati, medium versus herbaceo-crassiusculi. Petala alba, orbiculata, circiter lineam metientia. Filamenta purpurea, basim versus paulo dilatata, antheræ longitudinem bis terve excedentia. Antheræ cordatæ, e rubro nigrescentes; connectivum flavescens, dorso turgens et conspicue dependens; loculi rimula antica dehiscentes. Stigma stylo vix crassius. Fructus statu maturato ignotus. Affinitas hanc speciem ad T. Elliotti trahit, cujus autem folia longiora, flores pedicellati, bracteolæ angustiores et mox cadentes, lobi calycis haud auriculati, tubus paulo compressus et costatus, petala et stamina breviora, antherarum glandula antrorsum producta, stylus brevior. T. Elliottii nasciter prope Fowler's Bay (E. Giles) et inter Ouldabinna et Musgrave's Range (Tietkens et Young). Folia usque 4''' longa.

T. tenella foliis Bæckeæ Behrii simillima, tubo calycis speciei sequenti cognata.

Thryptomene urceolaris.

Glabra, foliis perbrevibus turgide oblongo-obovatis vix angulatis minutissime cuspidulatis lævibus subito conspicue petiolatis, floribus solitariis brevissime pedicellatis, *bracteolis perminutis* semilanceolato-cymbeis caducis, *calycis tubo urceolari-globoso lævi, lobis omnino petaloideis petala fere æquantibus rotundatis, staminibus quinque lobis calycis oppositis,* filamentis brevissimis, antheris perminutis renato-cordatis glandula apiculatis, stylo brevissimo, stigmate minutissimo, germine bigemmulato.

Inter Victoria-Springs et Ularing ; Young.

Frutex ramosissimus. Folia circiter lineam longa, modice approximata. Flores racemos spiciformes foliatos constituentes. Bracteolæ circiter $\frac{1}{2}'''$ longæ. Calycis lobi cum petalis albi, integerrimi, fere $\frac{2}{3}'''$ longi ; tubus calycis sub anthesi lineam vix excedens, nec foveolatus, nec compressus, nec costatus. Filamenta tenuissima. Antheræ fugaces. Vertex fructus junioris depressus, albidus, haud foveolatus ; fructus maturus ignotus.

Species adspectu exteriore T. Maisonneuvei imitatur, pluribus autem characteribus floralibus et foliis pæne exangulatis longe differt.

Thryptomene trachycalyx.

(Sect. Micromyrtus.)

Glabra, foliis perbrevibus oblongo- vel obovato-cuneatis muticis subtus convexis supra concavis vel planiusculis margine scabriusculis, pedunculis solitariis folia fere æquantibus, bracteolis caducis, *calycis tubo oblique pyriformi-obconico ruguloso-scabro* parum angulato, petalis roseis lobos calycis fere semiorbicatos ter superantibus quibuscum vix denticulatis, *staminibus quinque petalis oppositis,* antheris late cordatis glandula terminatis, stylo brevissimo, germine e placenta laterali paucigemmulato.

Inter Ularing et Mount Jackson ; Young.

Folia 1–2$'''$ longa, conferta, in petiolum brevissimum desinentia. Pedicelli nulli. Bracteolæ exemplarium suppetentum jam delapsæ. Calycis tubus 1–1$\frac{1}{2}'''$ longus, infra apicem leniter contractus ; lobi pæne omnino membranei. Petala circiter lineam longa, rotunda, in basim truncatam angustata, diu persistentia. Stamina mox decidua. Filamenta antheris duplo longiora, haud dilatata. Antherarum loculi ovati, rima antica longitudinaliter hiantes. Stigma stylo vix crassius. Fructus semen unicum maturans. Testa flavescens. Radicula supera, clavato-pyriformis. Cotyledones brevissimæ, semiellipticæ, compressæ, e collo embryonis pertenui recurvæ.

T. flavifloram ab hac nova non solum color petalorum separat, sed etiam denticulatio distinctior loborum calycis et petalorum.

T. plicatam et T. minutifloram amplius removent folia evidentius trigona, defectus pedunculorum, tubus calycum inter costas lævis, bracteolæ diutius persistentes.

Thryptomene hymenonema.

(Sect. Micromyrtus.)

Ramosissima, foliis brevibus lineari-triquetris acutiusculis ciliolatis, pedunculis pedicellisque nullis, bracteolis semilanceolato-cymbeis, *calycis tubo brevi quinque-plicato fere turbinato*, lobis membraneis cordato-rotundis ciliolatis petala semiæquantibus, staminibus decem, *filamentis planis membraneis*, petalinis anthera aliquoties longioribus, antheris ovato-rotundis glandula perminuta terminatis, stylo breviusculo, stigmate minimo, germine bigemmulato.

Ad fontes Victoriæ ; Young.

Folia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}'''$ longa, tetrasticho-conferta, in petiolum brevissimum desinentia. Bracteolæ circiter lineam longæ, haud valde caducæ. Calycis tubus sub anthesi lineam vix excedens ; rugæ inter costas nullæ ; lobi circiter $\frac{2}{3}'''$ alti. Petala rosea, obovato-rotunda, basi brevissime cuneata. Filamenta latiuscula ; petalina $\frac{2}{3}'''$ longa ; calycina petalinis paulo breviora. Antheræ pallide flavæ, filamento vix latiores, haud admodum lobatæ. Stigma stylo pertenui vix crassius. Fructus statu maturo haud allatus.

A Thryptomene plicata numerus staminum et latitudo filamentorum hanc novam separare videntur.

Calycothrix Birdii.

(Sect. Plerosiphon.)

Glabra, *foliis clavato-cylindricis* exangulatis, pedicellis folio brevioribus, *bracteolis ovato-lanceolatis mucronato-acuminatis* appressis lævibus fere liberis, calycis tubo bracteolas ter superante ultra germen solido superne conspicue tenuiore, lobis rhombeo-orbicularibus in setam petala acuta evidenter superantem productis, *ore calycis clauso*, staminibus circiter 30, antherarum glandula dorsali loculos vix superante, stylo inferne cum tubo calycis concrescente.

Inter fontes Victoria-Spring et Ularing ; Young.

Ramuli albidi. Folia 2–3''' longa, obtusissima, brevi-petiolata. Bracteolæ addita aristula vix sesquilineam excedentes, latere parum imbricatæ. Calycis tubus 4–5''' longus, inferne conspicue crassior, longitudinaliter striatus ; lobi rosei, lineam circiter metientes, inferne anguste imbricati ; setæ vix semipollicares, parum scabriusculæ. Petala intense purpurea, circiter 3''' longa. Stamina inæquilonga. Antheræ flavæ, cordato-ovatæ. Stigma stylo vix crassius. Fructus statu perfecto non allatus.

Novam hanc speciem a C. simplice distinguunt folia haud angulosa, petala non obtusa, bracteolæ conspicius mucronatæ et tubo calycis longius superatæ, stylus tubum calycis intrans; a C. tenuiramea eam separant folia non triquetra, tubus calycis bracteolas longius excedens, styli basis adnata, acumen bracteolarum extensius. Speciem dicavi præclaro Samueli Bird, M.D., Materiæ medicæ præceptori in Universitate Melbournensi, Nosocomii Alfredi medico peritissimo. Foliorum forma teretiuscula C. Birdii et ambas sequentes ab omnibus fere ceteris congeneribus jam removet.

Calycothrix plumulosa.

(Sect. Plerosiphon.)

Brevi-pubescens, *foliis filiformi-cylindricis exangulatis*, floribus sessilibus, bracteolis ovato-lanceolatis mucronato-acuminatis præter basim liberis, tubo calycis apicem versus valde attenuato bracteolas parum superante inferne hirtello ultra germem solido, *lobis calycis villoso-sericeis in setam plumoso-ciliatam petala æquantem aut vix superantem excurrentibus, ore clauso*, staminibus circiter 40, antherarum glandula dorsali ultra loculos haud producta, stigmate crassitiem styli non excedente.

Prope Mount Churchman; Young.

Planta C. strigosæ admodum similis, specifice autem distare videtur foliis non angulatis, bracteolis acutioribus, calycis tubo breviore sursum tenuiore et glabro nullo modo ad germen usque pro receptione styli cavo, lobis inferne densius pilosis, ore non aperto, antheris didymo-rotundis non fere ovatis, denique forsan fructibus adhuc statu maturo comparandis.

C. strigosa nuperius colligebatur ad Mount Elizabeth (Julia Wells) et ad Champion-Bay (Guerin). Petala purpurea. Filamenta lutea.

Calycothrix Creswelli.

(Sect. Coilosiphon.)

Glabra, *foliis clavato- vel ovato-teretiusculis* exangulatis, pedicellis folia paulo superantibus, *bracteolis ovato-orbiculatis liberis* majusculis laxis lævibus muticis, calycis tubo bracteolas duplo triplove superante ultra germen cavo superne haud tenuiore, lobis rhombeo-orbicularibus in setam petala acuta longe superantem productis, *ore calycis aperto*, staminibus numerosis, antherarum glandula dorsali loculis superata, *stylo intra tubum calycis semi-incluso libero.*

Inter Ularing et Mount Jackson, sicut prope Mount Churchman; Young.

Folia 1–2‴ longa, obtusissima, perbrevi-petiolata. Bracteolæ 2–3‴ longæ, latere ample imbricatæ, haud ciliatæ. Calycis tubus

æqualiter filiformis, apice leniter ampliatus, longitudinaliter striatus; lobi pallidi, sæpe sesquilineares, integerrimi, inferne late imbricati; setæ circiter semipollicares, leniter scabriusculæ. Petala albida, erubescentia, ovato-lanceolata, 3–4‴ longa. Stamina usque 50, inæquilonga, annulo os calycis apertum cingenti inserta. Antheræ cordatæ. Stigma stylo paulo crassius. Fructus sua maturatione ignotus.

Species C. granulosam præcipue approximat, absqua foliis longioribus haud angulatis, bracteolarum magnitudine et imprimis latitudine, tubo calycis longiore separata, præclaro C. F. Creswell dicata, qui ad plantas sub explorationibus geographicis per Australiam disseminandas opem pluries libenter tulit.

Verticordia Wilhelmii ad Streaky Bay a cl. Hersch. Babbage inveniebatur.

Verticordia Fontanesii prope montem Churchmani varietatem brevifoliam gignit, et ibidem varietas V. Brownii pusilliflora invenitur.

Verticordia conferta floribus rufis passim occurrit.

Verticordia nitens ad flumen Blackwood-River extendit.

Verticordia chrysantha in vicinia montis Churchmanii (Young) et ad Champion's Bay (Guerin) occurrit. Staminodia passim lacinulata. Folia interdum valde abbreviata. Drumm. 165 et 167. V. Preissii, quæ simillima, ad Porongerup crescit. Bracteolæ hujus mox deciduæ. Cl. Young prope Mount Churchman varietatem rufam notavit.

Verticordia insignis forsan ad flumen Murchisoni usque extendit fide collectionis Drummondi. Bracteolæ orbiculares, 2–3‴ metientes. Staminodia petaloideo-dilatata.

Verticordia fimbrilepis flores pallidos certe non luteos habet.

Verticordia monadelpha ad montem Churchmanii vergit.

Verticordia Cunninghami ad portum Darwinii (Schultz), nec non ad Caledon-Bay (B. Gulliver in expeditione Cadelli) occurrit.

Verticordia picta usque ad fontes Victoriæ extendit secundum collectionem Youngii.

Verticordia pennigera ad Mount Churchman provenit.

Verticordia ovalifolia bracteolas mox deciduas ovato-cymbeas circa 3‴ longas et staminodia capitellata gerit.

Verticordia grandis ad Champion-Bay (Guerin) et Greenough's River (C. Gray) nascitur.

Verticordia chrysostachya ad montem Churchmanii extendit, et quidem varietate rhodostachya. In hac ut in forma typica bracteolæ petaloideæ, membraneæ, pellucentes, diu persistentes, mucronato-rostellatæ, longe inferne connatæ; lobi calycum exteriores simpliciter deflexi, tenerrime membranei, ambitu orbiculares; appendices herbaceæ sub lobis calycis interioribus processus eorumdem sistentes, sæpe rotundæ et leniter bilobæ; plumæ loborum intimorum 11–13 petalis fere ovatis æquilongæ; stami-

nodia glanduligera, staminibus æquilonga ; filamenta fertilia antheris vix longiora ; *antheræ rotundæ,* paulo emarginatæ, nullo modo ut in aliis speciebus e Catacalyptæ sectione ovatæ vel oblongæ ; connectivum glanduloso-tumescens, loculos haud superans ; stylus crassiusculus, staminibus circiter duplo longior ; bracteolæ autem cum lobis calycis et petalis amœne erubescentes ; color florum luteus igitur in Verticordia non constans, quare species flavifloræ ceteris iterum comparandæ sunt.

Verticordia brachypoda saltem varietatem V. multifloræ floribus albidis aut roseis insignem sistit, nisi separatione specifica fortasse eget. Præter plantam Drummondi 28 jam e Turczaninow enumeratam huc pertinent exemplaria Drummondi sub 111 emissa, porro plantæ Benthamio notatæ a Stirling's Range et Fitzgerald's Range.

Bæckea ochropetala.

Glabra, *foliis minutis globoso-ovatis* vel sphæroideis, pedunculis brevibus solitariis unifloris prope apicem articulatis, bracteolis oblongo-linearibus, calycis tubo turbinato-hemisphærico lobis semiorbiculatis pluries longiore, *petalis flavis* majusculis, staminibus fere viginti, *filamentis ad apicem incurvum tumide incrassatis,* antheris didymo-renatis utrinque rimula brevi dehiscentibus, stylo perbrevi, germine triloculato, loculis plurigemmulatis.

Inter Ularing et Mount Jackson ; Young.

Ramuli numerosissimi. Folia perbreviter petiolata, valde turgentia, lineam circiter longa et fere lata, supra sulculo imperfecte impressa, apice obtusissima, non carinata. Pedunculi calyce bis aliquotiesve breviores, ramulos terminantes vel demum quasi axillares. Bracteolæ sub calyce sitæ, oblongo-lineares, fere cymbeæ, circiter $\frac{2}{3}'''$ longæ, cito deciduæ. Totus calyx fere $3'''$ longus, basi vix brevissime pedicellatus. Petala colore sulphurea, extus partim rubescentia, circiter $2\frac{1}{2}'''$ metientia, orbicularia, brevissime unguiculata. Filamenta lineam longa vel breviora, medium versus tenuiora. Antheræ pallidæ. Stylus vix lineam longus et stigmate paulo tenuior. Germen omnino inferum. Gemmulæ circum placentam peltatam basilarem annulari-dispositæ. Fructus maturus mihi non adest. Ab omnibus congeneribus hæc species pulchella colore petalorum insigniter discrepat.

Bæckea cryptandroides.

(Sect. Scholtzia.)

Diffusa, *foliis crassis perbrevibus oblongo-ellipsoideis* ovatisve obtuse trigonis muticis, floribus solitariis sessilibus, *bracteolis orbicularibus persistentibus* calyce pluries brevioribus, tubo calycis exangulato primum inferne obconico demum urceolari-campanulato, lobis fere semiorbiculatis denticulatis petala vix semiæquantibus,

staminibus 10–12 æquidistantibus, antheris fere rotundis, loculis distinctis rima longitudinali dehiscentibus, *germine 3-loculato, loculis 1–2-gemmulatis*, vertice fructus planiusculo.

Inter fontes Victoria-Spring et Ularing ; Young.

Exemplaria allata sesquipedalia. Folia brevissime petiolata, glabra, $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}'''$ longa, subtus valde turgentia, in ramulis novellis dense conferta. Bracteolæ membraneæ, circiter $\frac{2}{3}'''$ longæ. Calycis tubus ultra germen productus, lævis, sub anthesi $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longus. Petala alba, orbicularia, lineam paulo excedentia, mox decidua. Filamenta leniter compressa, regulariter disposita, antheris fere duplo longiora, rubella. Antheræ pallidæ ; loculi distincti, antice ample hiantes ; glandula connectivi turgens, a puncto insertionis ultra apicem antheræ extendens, rubra. Stylus staminibus vix longior ; stigma depresso-globosum. Fructus addito limbo coronante 3–4''' longus.

A Bæckea serpillifolia (Harmogia serpillifolia, Turcz. in Bullet. de l'Acad. de St. Petersb. 1852, p. 406 ; Scholtzia Drummondi, Benth. Flor. Austr. iii. 70) jam forma foliorum et absentia pedunculorum novam nunc promulgatam separavi ; a B. tetragona bracteolis persistentibus, tubo calycis exangulato, lobis ejusdem haud ovatis ; a B. ericæa (F. M. Fragm. i. 31) floribus majoribus, staminum numero, fructus vertice depresso.

Beaufortia interstans.

Ramosissima, *foliis perbrevibus oblongis ovatisve* canaliculato-trigonis oppositis basi truncata sessilibus supra glabrescentibus, spicis valde abbreviatis, calycibus parvis puberulis, *phalangibus staminum perbrevibus 5–7-andris, unguibus intus pilosulis petala fere semisuperantibus, antheris purpureis.*

Prope Mount Churchman ; Young.

Ramuli paulo pilosuli, mox glabrati. Folia 1–2''' longa, mutica, tetrasticho-conferta, parum patula, primum parce puberula, demum glaberrima. Spicæ $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ longæ, sub anthesi infra-apicales. Bracteæ fere rhomboideæ, 1–$1\frac{1}{2}'''$ metientes. Bracteolæ lineares, canaliculatæ, vix lineam longæ, cum bracteis rachi et calycibus breviter pubescentes. Calycum tubus circa lineam longus, lobis deltoideis carinulatis ter fere longior. Petala lobos calycis breviter superantia, ciliolata, oblonga. Stamina purpurea. Unguis phalangum circiter lineam longus. Antheræ colore filamentorum. Calyces fructiferi lateraliter coaliti, pæne sesquilineam lati, demum lobis orbati ; valvæ profunde inclusæ, vertice tomentello-hirtulæ. Semina in loculis solitaria, nigro-fusca, nitentia, lævia, $\frac{1}{2}'''$ longa, trigone oblongo-ovata.

Speciem inter B. micrantham et B. Schaueri pono, atque ab illa separo propter tomentum ramulorum haud eximium, folia longiora minus appressa, phalanges longiores stamina plura gerentes, an-

theras haud luteas; a B. Schaueri ob folia latiora et breviora, phalanges tenuiores, petala angustiora. De B. empetrifolia ultra inquire.

Calothamnus Gilesii.

Robustus, ramulis pubescentibus, *foliis tereti-filiformibus* longiusculis mucronatis, floribus pauciconfertis, *calycibus emersis* quinquelobis præter basim glabris, *phalangibus staminum quinque longis æqualibus pleio- vel polyandris, filamentis superioribus anthera flava oblonga imberbi aliquoties pluriesve longioribus,* stylo elongato.

Ad fontes Victoriæ; Giles et Young.

Species approximat C. chrysanthereum, cui autem conjungi nequit propter ramos haud suberosos, filamenta longiora et pauciora, antheras majores et calyces non undique sericeo-tomentosos. A C. toruloso amplius distat floribus haud tetrameris, unguibus staminum omnibus fere æquilatis, antheris minoribus haud atro-rubris. De fructuum et præcipue seminum ad huc ignotorum indole inquirendum.

C. torulosus ad East Mount Barren usque extendit, ubi circa 4′ altus. Antheræ latiusculæ, glabræ. Plantam hanc ornatissimam diu colui.

C. sanguineus nunc a fluvio Blackwood-River et urbe York notus.

C. blepharantherus, qui anteriori ultra comparandus, ad Champion-Bay et Greenough's River altitudinem 10 pedum attinet.

Calothamnus quadrifidus ad Mount Elizabeth (Julia Wells) et Russell's Range (Dempster) crescit.

Calothamnus planifolius (Lehmann Delect. Sem. Hort. Bot. Hamburg, 1842, p. 7) ad Stirling's Range et Kalgan me ipso lectus, ubi jam altitudine digitali florescit.

Calothamnus asper prope montem Churchmanii varietatem calyce pubescente peculiarem producit.

Calothamnus homalophylla ad Irwin's River et Champion's Bay invenitur.

Leguminosæ.

Acacia quadrimarginea.

Glabra, ramulis teretiusculis, *phyllodiis lanceolato-linearibus falcato-curvatis subtiliter multinervi-striolatis* brevissime petiolatis, glandula ad phyllodii basim obscura, pedunculis axillaribus solitariis monocephalis phyllodio aliquoties pluriesve brevioribus, *legumine crasso secus utrumque marginem in angulos duos ultra valvarum latera conspicue prominentes dilatato* rectiusculo vix latiusculo, seminibus longitudinalibus arillo brevi flavidulo præditis.

Prope Ularing; Young.

Phyllodia 2–3″ longa et totidem lineas lata; nervus medius nervulis ceteris striiformibus prominentior. Flores omnino ignoti. Pedunculi fructiferi $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longi. Legumina breviter stipitata, 3–6″ longa, $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ lata, ad margines ample planata, inter angulos tali modo ortos læviuscula, intus fere septata. Semina ovata, fere 3‴ longa. Funiculus bis plicatus, sursum modice ampliatus.

Species e statu quidem manco stabilita, sed in agmine Acaciarum ingente nullam fructu simili respondentem inveni nisi aliquotenus A. quadrisulcatam jam phyllodiis diversissimam; legumen autem longius; margines ejusdem non rotundati; anguli prominentes et spatium inter margines multo amplius relinquentes. Ab A. lineolata, cujus fructum nemo adhuc attulit, nostram novam distingui indumento vix ullo, phyllodiis latioribus, pedunculis longioribus non geminis; sed plantam a fluvio Murchisoni floriferam forsan ad A. quadrimargineam trahes.

Acacia denticulosa.

(Sect. Dimidiatæ.)

Viscida, glandulis conspersa, ramulis teretiusculis, *phyllodiis magnis perobliqne-ovatis 3–5-nerviis prominenter reticulato-venosis crebre acuteque denticulatis* glabris petiolo breviusculo præditis apice in acumen breve acutissimum productis, *spicis elongatis* breviter pedunculatis densifloris, sepalis 4–5 liberis angustissimis puberulis glandulari-apiculatis petala ovata acuta glabra parum cohærentia ad dodrantem æquantibus, staminibus semiexsertis, stylo glabro, germine glanduloso, *leguminibus sessilibus filiformi-linearibus* rectiusculis, seminibus longitudinalibus funiculo pallido contortuplicato ampliato suffultis.

Prope Mount Churchman; Young.

Frutex forsan altus. Phyllodia $2\frac{1}{2}$–4″ longa, $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ lata, irregulariter arguteque dentata, margine crispula; nervi superiores valde curvati, omnes ad basim juncti. Spicæ præter pedunculum 2–3″ longæ. Sepala circiter $\frac{2}{3}$‴ longa. Legumina glabra, juniora valde compressa, acuta, 2–4″ longa, 1–$1\frac{1}{2}$‴ lata, statu maturato ignota. Semina ovata.

Species A. dimidiatæ approximanda, abs qua divellitur viscidate et glandulis, brevitate petiolorum, phyllodiis nitentibus crispulis, venis prominentibus, junctione omnium nervorum ad basim phyllodii, disjunctione sepalorum, leguminibus angustioribus fortius compressis nec non strophioli forma.

Daviesia acanthoclona.

Glabra, *aphylla, ramulis crassis lævibus rectiusculis, ultimis spinas validas patentissimas constituentibus,* corymbis paucifloris perbreviter pedunculatis, bracteis perminutis, pedicellis capillaribus

calyce paulo longioribus, *calycis tubo in basim sensim longiuscule attenuato,* labio supero truncato minutissime denticulato, petalis brevibus, imis obtusissimis parum curvatis, germine oblique lanceolato.

Ad fontes Victoriæ ; Giles et Young.

Ab affini D. brevifolia præcipue separabilis ramulis crassioribus minime flexuosis haud ruguloso-striatis, spinis sive foliis majoribus, pedunculis pedicellisque longioribus, calycibus in basim longius tenuiusque protractis, petalis brevioribus, infimis haud conspicue arcuatis. Legumina utriusque speciei adhuc comparanda. Separatio a D. aphylla jam facilior propter formationem spinarum, ramulos quoque crassiores et læves, calycis labium superum eminentius bidentatum.

Phyllota Luehmanni.

Villoso-tomentosa, foliis breviusculis linearibus acutis margine ample revolutis, floribus in apice ramulorum confertis, *calycibus brevissime pedicellatis, bracteolis linearibus acutis calyce brevioribus,* labio supero profunde fisso, petalis imis supremo vix brevioribus lateralia paulo superantibus obtusis, *stylo tenuissimo præter basim glabro,* legumine ovato-globoso extus dense villoso-sericeo intus parce pubescente.

Ad Victoria-Spring et Ularing ; Giles et Young.

Tomentum ramulorum albidum. Folia conferta, 3–5‴ longa, ½–1‴ lata, exstipulata, fere sessilia. Calyces 2–3‴ longi ; laciniæ acutæ, superiores inferioribus duplo latiores. Bracteolæ angustissimæ, haud rigescentes. Petala lateralia cum supero lutea, infera atro-purpurea, omnio longe unguiculata. Antheræ ovatæ, dorsifixæ. Stylus circiter 2‴ longus. Stigma minutissimum. Legumen 2–3‴ longum, valde turgidum, brevissime stipitatum. Semina 1–2 renato-ovata, estrophiolata, ope funiculi perbrevis fixa. Species Aotos approximans a cunctis congeneribus hactenus notis jam tenuitate bracteolarum diversa, cl. Georgio Luehmann, Musei Melbournensis phytologici subcustodi dicata.

Phyllota pleurandroides ad Penola (Rev. Jul. T. Woods), Villunga, Encounter-Bay et Wimmera crescit.

Phyllota phylicoides in Novam Angliam et ad Richmond-River extendit.

Aotus Tietkensii.

Humilior, pubescens, *foliis verticillari-ternis lanceolato vel obovato-oblongis herbaceis planis* haud prominenter venosis, floribus axillaribus breviter pedicellatis, bracteis cymbeo-ovalibus majusculis, calycibus sericeo-villosis longiusculis, petalis lateralibus ima æquantibus summo perbreviter superatis, stylo capillari glabro, *legumine oblique rotundo-ovato* rostrato villis longiuscule superato.

Ad fontes Victoriæ ; Young et Tietkens.

Specimen unicum allatum spithamam altum. Folia brevissime petiolata, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ longa, $1\frac{1}{3}$–$2'''$ lata, acutiuscula. Stipulæ nullæ. Bracteæ ad $2'''$ longæ. Calyces fere $3'''$ longi ; labia tubo circiter æquilonga ; superum mediotenus in lacinias deltoideo-semilanceolatas divisum ; inferi laciniæ semilanceolatæ, acuminatæ. Bracteolæ nullæ. Petalum superum circiter $4'''$ metiens, cordato-orbiculatum, perbreviter unguiculatum, marginem versus luteum, centrum versus saturate purpurascens ; petala lateralia semihastato-oblongata, lutea, basim versus paulo purpurea ; petala ima præter basim connata, apice obtusa, omnino atropurpurea. Antheræ flavæ, ovatæ, dorsifixæ, æquales. Stylus $2'''$ longus. Germen bigemmulatum. Legumen statu semimaturo obtentum, tunc conspicue compressum, $2'''$ longum, intus glabrum, extus villis albis obtectum et apice quasi papposum. Semina funiculis brevissimis appensa, strophiolo carentia.

Ab A. passerinoide differt foliis supra medium nec infra medium latioribus margine non recurvatis, calycibus longioribus acutius laciniatis apicem versus non glabris, vexillo latiore, stylo non pubescente, fortasse quoque leguminibus adhuc comparandis.

Burtonia gompholobioides.

Fere glabra, stipulis brevissimis subulatis, *foliolis ternis sessilibus planis cuneato- vel lanceolato-oblongis* mucronulatis, pedicellis solitariis vel geminis folia vix æquantibus vel eisdem conspicue brevioribus, calycis laciniis ciliolatis, petalis flavis, germine glabro.

Ad scaturigines Victoriæ ; Young.

Ramuli numerosi, tenues. Foliola rigidula, concoloria, glaucescentia, 2–4-longa, lenissime corrugato-striolata. Bracteolæ juxta pedicelli medium sitæ, minutæ, subulatæ. Calyces fere $3'''$ longi, extus nigrescentes et glabri. Petala lateralia et infera supremo fere semibreviora. Antheræ ovatæ, basifixæ. Stylus pertenuis, glaber. Stigma terminale, minutissimum. Legumen rotundum, statu juniore quo tantum visum conspicue compressum, dispermum.

Nova hæc species prope B. scabram stabit, planitate autem foliolorum, his insuper latioribus atque petalis non purpureis jam longe recedit.

B. polyzyga in tractu Macdonnell's Range crescit fide collectionis Ernesti Giles.

Burtonia subulata ad flumen Liverpool-River inventa est sub itinere Cadelli.

Burtonia polyzyga crescit ad Macdonnell's Range (Giles). Plantam similem, foliis divaricatis, foliolis majoribus, accepi in

collectione ultima Forresti, sed absque floribus et fructibus. Si nova, tunc collectori dicanda.

Burtonia villosa jam altitudine semipedali floret. Drumm. 29 et 138.

Burtonia scabra ad Stirling's Range (F. M.) et Blackwood-River (McHard) crescit.

Burtonia conferta nascitur ad Stokes-Inlet (Maxwell) et Point D'Entrecasteaux (Walcott). Drumm. 31.

Gastrolobium Lehmanni in collectione Drummondi sub 236 teneo.

Gastrolobium reticulatum in campis aridis ad flumen Kalgan legi.

Gastrolobium obovatum juxta montem Churchmanii reperit cl. J. Young.

Gastrolobium grandiflorum e multis locis Australiæ orientalis intratropicæ et centralis accepi, e. g.: Glen of Palms (E. Giles), Lake Buchanan (Sutherland), Flinders- et Cape-River (Bowman), Rockingham-Bay (Dallachy), Port Denison (Fitzalan), Tennant's Creek (Alfr. Giles), Peak-Downs (Graham). Petala superiora lutea vel omnia saturate purpurea. Legumen ovatum, acutum, turgidum, 3–4‴ longum, stipite vix breviore portatum, villosum. Strophiola seminum minuta.

Gastrolobium spinescens ad Stirling's Range reperi et hoc ad Warren's River monente Campbellio Carey altitudinem 15′ attinet.

Gastrolobium calycinum a Blackwood-River habeo, nec non e vicinia montis Churchmanii (Young).

Gastrolobium velutinum circum montes Stirlingi inveni.

Gastrolobium bilobum 18′ altum vidi, trunco ad 10′ usque nudo. Drumm. 36 et 71. Hæc species Heart-poison Bush vocari solet.

Genera Chorizema, Oxylobium, Gastrolobium, Mirbelia et Isotropis artificialiter et vane distinguuntur, nec habitu segregantur, quare omnia ad Chorizema facillime revocanda, ut in opere "Plants of Victoria," vol. ii. jam commendavi. Character de septo leguminis in Swainsonæ tantum speciebus paucis valet. Intra Mirbeliæ genus et rarius in Jacksonia gemmulas tam binas quam plures reperimus. Petala infima in Gastrolobiis sæpe valde abbreviata. Strophiola in aliis Oxylobiis præsens, in aliis absens, in Gastrolobiis magnitudine varia.

Gastrolobium seorsifolium.

Humilius, ramis sericeo-pubescentibus, *foliis sparsis pæne sessilibus ovato- vel oblongo-lanceolatis vel obovatis* integerrimis cito glabris recurvo-mucronulatis margine planis utrinque prominule reticulari-venosis, stipulis recurvato-subulatis, *fasciculis axillaribus paucifloris*, calycibus brevissime pedicellatis sericeis, labio supero breviter angusteque bidentato, labii inferi laciniis subulato-semilanceolatis, *petalis imis calycem æquantibus* vel vix supe-

rantibus, lateralibus supremo paulo brevioribus imis fere dimidio longioribus, *stylo admodum brevi, legumine parvo ovato* depresso perbreviter stipitato extus dense intus parce sericeo, funiculis brevissimis.

Prope fontem Victoria-Spring et scaturiginem Ularing versus in eremis ; Giles et Young.

Fruticulus jam caulibus digitalibus et spithamæis ample florens, statu frequentiore forsan conspicue altior. Folia tenui-coriacea, circiter pollicem longa, sed nonnulla ad brevitatem semiunciæ reducta, longitudinaliter et præsertim sursum aliquotenus complicata, subtus paululum glaucescentia, juvenilia fere sericea. Stipulæ $1-1\frac{1}{2}'''$ longæ, sericeæ, diu persistentes. Bracteolæ ad calycis basim lineari-subulatæ, canaliculatæ, vix lineam longæ, sericeæ, deciduæ. Calyces $2-3'''$ longi ; labia tubo latiusculo longitudine æqualia ; dentes superi inferis bis terve breviores. Petalum superum renato- vel orbiculato-obcordatum, $3-4''$ latum, luteum, basim versus rubrescens ; unguis cuneiformis, lineam paulo excedens ; petala lateralia lutea ; ima purpurascentia, obtusa, præter ungues tantum sesquilineam longa. Antheræ pallidæ, dorsifixæ, rotundo-ovatæ. Stylus crassiusculus, sericeus, vix lineam longus. Germen bigemmulatum. Legumen statu plane maturato nondum me visum, semimaturum $3'''$ longum, supra secus suturam valde impressum, sed non biloculatum. Semina fere renata, statu juniore nullum strophioli vestigium exhibentia.

Planta, fructu demum noto, Mirbeliis fortasse adnumeranda, ab omnibus Gastrolobiis sæpe sparsifoliis (nempe G. obovato, G. stipulari, G. callistachyo et G. stenophyllo) priori proxima, sed non facile confundenda, ob folia non in formam rhombeam vergentia sed paulo crassius venosa, pedicellos breviores, dentes calycum acutiores, stylum breviorem crassiorem et excepto apice sericeum. Approximatio saltem e habitu evidentior ad Oxylobium acutum, cujus autem folia plerumque in verticillos collecta, dentes calycum fere æquales latiores et horum superi longiores, petala ima lateralibus æquilonga, stylus glaber et duplo longior, germen sessile observante Benthamio quadrigemmulatum.

Jacksonia cupulifera.

Meissn. in der Botanischen Zeitung 1855, p. 27 ; J. scoparia, var. macrocarpa, Benth. Flor. Austr. ii. 60.

Elata, inermis, *ramulis tenuibus angulosis* sulcatis parce sericeis, floribus racemosis, pedicellis calyci fere æquilongis, bracteolis minutis acutis deciduis, *calycibus tenui-sericeis fere basi tenus in segmenta decidua acutiuscula solutis,* petalis calycem breviter superantibus, antheris rotundis, *stylo glabro caduco, legumine magno longiuscule stipitato glabrato oblique oblongo* modice turgente intus pubescente, valvis duris.

Ad flumen Murchisoni, Drummond ; ad rivum Greenoughii, C. Gray.

Species J. scopariæ prorsus orientali haud combinanda ; antheræ enim haud ovatæ, stylus brevior nec persistens neque sericeo-pubescens, calycis laciniæ citius deciduæ, indumentum germinis arctius appressum, legumina stipiti breviori imposita obtusiora majora nec fere membranea nec ætate sericeo-pubescentia, semina conspicue majora.

Jacksonia scoparia ad Dyngie (Maria Ross) et Darling's Downs, Condamine's River, Towomba (Hartmann), Broad-Sound (Th. Gulliver) extendit. Pedicelli supra medium minute bracteolati.

Jacksonia dilatata viciniam fluminis Liverpool-River inhabitat, ut Benj. Gulliver sub itinere Cadelli ostendit. Cl. Schultz eandem speciem a portu Darwinii attulit. Ipse vide plantam ad Fitzmaurice's River. Ramuli foliiformes ad spithamam usque longi. Hæc cum aliis Jacksoniis similitudinem ad aliquot plantas proteaceas exhibet.

Jacksonia odontoclada racemos sæpe abbreviatos ad corymbos habet. E Vanderlin's Island hanc habeo sub itinere Cadelli collectam.

Jacksonia ramosissima ad Port Denison a Fitzalan obtenta est, ad Cape's River a R. Daintree. Vix ultra 3′ alta, quantum nota.

Jacksonia vernicosa me primum ad flumen Macarthuri detecta, ubi usque 8′ alta. Varietatem brevifloram a cl. A. Henry accepi, qui hanc ad flumen Normani obtinuit. Varietatem aliam aut speciem finitimam me sub nomine J. rhadinoclonæ distributam undique argenteo-sericeam habeo a promontorio Cape Byron, ubi cl. Moore hanc tantum $1-1\frac{1}{2}'$ altam reperit ; cl. Birch eandem plantam sericeam parvifloram paucisquamosam et non vernicosam a fontibus fluminis Thomsoni attulit. Adspectus fere J. scopariæ. Ramuli teretiusculi.

Jacksonia thesioides statu saltem normali petalis omnibus purpureis (e nota Dallachyi rubescentibus vel cœrulescentibus) ante omnes congeneres insignitur. Novi loci sunt : Cape Sidmouth (Curdie), Liverpool-River (B. Gulliver), Cape's River (Bowman), Rockingham's Bay (Armit), Hinchinbrook's Island (Dallachy). Petala lutea Benthamio notata nunquam observavi, sed exemplaria Cunninghami mihi deerant.

Jacksonia pteroclada.

Humilis, inermis, *ramulis angulosis late phyllodineo-dilatatis* edentatis ad angulos marginesque asperis, pedicellis brevissimis solitarie distantibus, bracteolis minutis acutis persistentibus, *calycibus magnis prominenter quinque-angulatis fere basi tenus in segmenta lanceolata crassiuscula mucronulato-acuminata uninervia parce sericea solutis,* petalis calyce breviter superatis inter

se longitudine æqualibus, antheris oblongo-ovalibus, germine sessili sericeo.

In Australia occidentali extratropica ; J. Drummond.

Planta spithamæa usque pedalis. Rami flexuosi, ad semipollicem usque lati. Calyces 5–6‴ longi, rigiduli. Petala tantum statu emarcido visa. Legumen omnino ignotum.

Species calycem fere J. macrocalycis gerens, abs qua jam propter ramos late planatos haud spinescentes facile distinguenda. A Jacksonia alata ramis bis terve latioribus, calycis segmentis circiter triplo longioribus conspicue acutioribus prominenter uninerviis haud membraneis jam diversa redditur. Flores et fructus bene evoluti adhuc comparare oportet. A Jacksonia compressa nostram novam distingues humilitate, ramis crassius angulatis amplius dilatatis evidentius flexuosis haud striatis, calycibus nec dense sericeis neque ante apertionem eminenter pentagonis præterea acutioribus.

J. alata me ipso ad Kalgan reperta anno 1867.

J. compressa ad Stirling's Range eodem anno visa. Petala ima saturate purpurea. Bracteolæ acutæ.

Jacksonia densiflora ad Champion-Bay extendit.

Jacksonia spinosa ad Esperance-Bay vergit.

Jacksia umbellata montes Russell's Range et promontorium Cape Arid attinet.

Jacksonia rhadinoclada.

Inermis vel parum spinescens *ramulis tenuibus teretiusculis simplicibus* sulcatis paulo sericeis, floribus breviter spicatis, bracteolis persistentibus, *calycibus brevibus* sericeis basi in tubulum tenuem contractis, petalis calycem vix superantibus, antheris rotundo-ovatis, *stylo brevi glabro deciduo, legumine parvo ovato- vel rhombeo-rotundo turgente calycem persistentem æquante* dense sericeo brevissime stipitato intus subtiliter puberulo, funiculis longiusculis.

Prope Ularing ; Young.

Rami glabrescentes, recurvati, distanter et minute squamulati. Calycum laciniæ $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ. Petala lateralia ceteris breviora, ima atropurpurea. Legumen apiculatum.

A Jacksonia capitata, quæ ad Eyre's Range extendit, ramulis distinctius sulcatis, floribus haud confertis, pedicellis vix ullis, calycibus brevioribus basi haud obtusatis, laciniis ejusdem obtusioribus, diutius persistentibus, petalis inferis supremo æquilongis et antheris latioribus sufficienter separatur. A Jacksonia racemosa novam nunc distinguo ramulis tenuioribus, calycibus brevioribus prope basim subito coarctatis, laciniis minus acutis, legumine breviore latiore et turgidiore intus non glabro. J. racemosa ad Bremer's Bay et Point Henry a Maxwell reperiebatur.

Jacksonia hakeoides stylum glabrum et germen brevissime stipitatum gerit. Drummond 261. Varietatem ulicinam accepi a Murchison's River (Drummond), Irwin's River (Guerin), Greenough's River et Champion-Bay (Gray).

Jacksonia furcellata ad Geograph-Bay crescit (Pries). Drummond 60.

Jacksonia spinosa me ipso ad Stirling's Range observata est. Ramuli minus compressi quam ii J. horridæ, flores et fructus minores. Distinctiones, quibus J. foliosa et J. stricta removeri solent, amplius probandæ.

Jacksonia Sternbergiana nunc ad Kalgan et Champion-Bay lecta.

Campanulaceæ.

Isotoma Gulliverii.

Humilis, *annua*, foliis lineari-lanceolatis denticulatis vel integerrimis pilosulis, pedicellis capillaribus glabris solitariis flore longioribus, calycis pilosuli tubo laciniis subulato-semilanceolatis paulo breviore, *corollæ parvæ tubo gracili calycem longe superante lobis fere æqualibus lanceolatis duplo longiore,* antheris superioribus dorso parce puberulis, inferioribus apice brevissime barbatis et setula minuta mucronulatis, capsula ovali, *seminibus minutissimis* compresso-ovatis lævibus.

Inter fluvios Normanii et Gilbertii ; Th. Gulliver.

Herbula paucipollicaris, debillima, facie Lobeliæ dioicæ. Folia 2‴–1″ longa, plana, sparsa. Pedicelli 1–2″ longi. Flores bisexuales. Calycum laciniæ vix lineam longæ. Corollæ tubus fere 4‴ longus, integer ; lobi cœrulescentes. Antheræ linea paulo breviores. Capsula circiter 2‴ longa. Semina pallida, nisi denique colorata.

Hæc nova proxime stat Isotomæ pusillæ, quam glabritie, calycibus longioribus minus acute laciniatis, tubo corollæ breviore et corollæ lobis obtusis jam discriminabis.

Totum Isotomæ genus ad Lobeliam facillime revocandum.

Isotoma scapigera prope Streaky Bay (Warburton), inter Fowler's Bay et Eucla-Harbour (Richardson) et prope Stirling's Range circum lacunas semisalsas (F. M.) nascitur.

Isotoma petræa extendit usque ad Gawler's Range (R. Sullivan), Macdonnell's Range (C. Giles), Albergam et Mount Olga (E. Giles), Mueller's Range (Birch).

Isotoma axillaris nunc nota a Barnawartha (Fuller), Murray-River (Dr. Gummow), Castlereagh's River (Dr. Woolls), Springsure (Dr. Wuth).

Isotoma fluviatilis, de qua vide J. Hook. Fl. Tasm. i. 238, t. lxx. crescit ad South Esk (Gunn), Glenelg's River (Walter), Hume's River (F.M.), Lake George (Woolls), Severn (Hartmann). Faux corollæ cum parte infera loborum pilosula. Lobelia surrepens huic

simillima, sed faux glabra. Characteres specifici firmius adhuc figendi. Alpes Australiæ inhabitat et in Tasmania quoque ripas lacus St. Clair (Gulliver) et oram Swanport (Story) incolit.

Isotoma Brownii saltem usque Geograph-Bay (Dr. Rosselloty) et Mount Churchman (Young) extendit. Antheræ ad dorsum ex parte interdum barbatæ et ciliolatæ. Corolla sæpe violacea, passim alba.

Lobelia rhytidosperma.

Benth. Flor. Austr. iv. 126; L. simplicicaulis, Benth. in Hueg. Enum. Plant. Nov. Holl. austro-occid. 74; Isotoma rhytidosperma, F. M. coll.

Annua, glabra, foliis inferioribus obovato- vel cuneato-oblongis, superioribus linearibus plerisque distanter dentatis, pedicellis 1–3 terminalibus flori vix æquilongis vel eo longioribus, calycis laciniis e basi dilatata subulato-linearibus tubo semiovato-obconico æquilongis, *corollæ tubo integro lacinias calycis æquante, labii inferi tubo duplo longioris lobis ample dilatatis lacinias labii superi intus auriculatas extus ciliolatas longe superantibus*, antheris omnibus apice barbellatis, capsula laciniis calycis vix longiore, *seminibus inæqualiter ovato-trigonis opacis dorso rugosis* omnino apteris.

In vicinia fluminis cygnorum, Liber Baro a Huegel; prope montem Churchmanii, Young.

Exemplaria tantum Youngiana vidi, quæ tantum bi- usque quadri-pollicaria. Horum folia addito petiolo 2–3‴ longa, nisi ima et summa breviora. Calycis laciniæ circiter 2‴ longæ. Corolla cyanea; labium inferius infra divisionem secus partem mediam flavescens et barbellatum; lobus medius lateralibus vix triente longior, 3–4‴ longus; lobi labii superioris $1\frac{1}{2}$–2‴ longi, inæqualiter et obtuse bilobulati; tubus longitudine linearum trium duarumve integer. Antheræ lineam paulo excedentes, haud longitudinaliter ciliolatæ; apex superiorum paulo longius barbellatus. Capsula 2–3‴ longa, haud gibba. Semina brunnea, circiter $\frac{1}{6}$‴ longa, glabra.

Lobelia rhytidosperma facile recognoscitur; statura enim brevior, glabrities, florum paucitas, corollæ tubus longiuscule integer, barba apicalis antherarum abbreviata et absentia angulorum membraneorum secus semina sunt characteres, quibus a L. heterophylla separatur. Brevitas caulis, folia partim dentata, corollæ lobi superiores apice barbati et insigniter appendiculati, lobus imus latior, fructus non fere gibboso-obliquus, semina majora non lucentia sed rugis transversis postice impressa notas pro distinctione a L. parvifolia offerunt. Habitus sæpe pygmæus, folia multo minora, corollæ tubus non pæne basi tenus fissus, lobi superiores bilobulati et semina nec lucida, nec lenticularia, nec lævissima separationem a proxima L. tenuiore perficiunt.

Lobelia heterophylla attinet Geograph-Bay et Blackwood-River (McHard), Russell's Range (Dempster), Barrow's Range et Mount Olga (E. Giles).

Lobelia microsperma.

L. gibbosa, R. Br. Prodr. 564 ; J. Hook. Flor. Tasm. i. 238 partim ; Benth. Flor. Austral. iv. 124 partim ; Rapuntium gibbosum, Presl. Prodr. Monogr. Lobeliac. 13.

Annua, glabra, caule simplice vel parum ramoso, *foliis dissitis linearibus* vel fere filiformibus, omnibus vel plerisque integerrimis, inferioribus passim dilatatis et elongatis, *racemo terminali* pauci-vel plurifloro, bracteis cum lobis calycis lineari-subulatis, *pedicellis flore brevioribus, calycis tubo ad latus superius valde turgente, corollæ lobis superis uncinato-falcatis imberbibus* inferis angusto-lanceolatis, antheris omnibus apice ciliato-barbatis, capsulis truncato-ovatis valde obliquis basi acute attenuatis, *seminibus minutissimis ovatis parum angulatis subtilissime foveoloso-reticulatis* apteris.

E regionibus præcipue litoralibus a fluvio Burnett's River usque in viciniam sinus Shark-Bay extendens, Novam Angliam sicut Tasmaniam intrans. Drumm. 177.

Species minutie formaque seminum L. Brownianæ proxima, abs qua foliis sæpe angustioribus et edentulis, calycum tubo ac laciniis longioribus, corolla majore, lobis ejusdem superis non distincte barbatis, inferioribus acutioribus et paulo crassioribus permanenter videtur diversa. Capsula interdum amethystino-colorata. Semina pulveriformia.

Lobelia Browniana (Rœm. et Schult. Syst. Veg. v. 71 ; L. stricta, R. Br. Prodr. 564 non Sw. ; L. gibbosa, Benth. Flor. Austr. iv. 124 partim ; Rapuntium Brownianum, Presl. Prodr. Monogr. Lobeliac. 30) e locis, qui sequuntur, mihi adest: Ballarat (Day), Glenelg's River (Allitt), Mersey Tasmaniæ (C. St.), Grampians (F. M.), Mudgee (Woolls), Barnawartha (Fuller), Macleay's River (Fitzgerald), New England (C. St.), Clarence's River (Wilcox), Condamine's River (Hartmann), Brisbane's River (Bailey), Moreton's Island (F. M.), Burdekin's River (Fitzalan), Port Denison (Bowman), Burnett's River (Haly).

Lobelia simplicicaulis (R. Br. Prodr. 564, non Benth. in Hueg. Enum. 74 ; A. de Cand. Prodr. viii. 359 partim ; L. gibbosa, J. Hook. Fl. Tasm. i. 238 partim ; Benth. Flor. Austr. iv. 124 partim ; Rapuntium simplicicaule, Presl. Prodr. Monogr. Lobeliac. 30) e variis locis a sinu orario Guichen-Bay usque ad flumen Hastings-River æque ac e Tasmania mihi nota est. Hæc species florescentiam L. Brownianæ et L. microspermæ cum indole seminum L. dentatæ et L. gracilis combinat, forma autem foliorum his quatuor congeneribus interstat. Corolla passim rosea. Recognitio tuta iconis Billardierii t. 71 aut ad L. simplicicaulem aut ad L.

microspermam pertinentis difficillima ; descriptio autem seminum, quæ La Billardière p. 50 " ovato-triquetra " vocavit, L. simplicicauli certissime attribuenda est. Hæ species in Tasmania commixte crescunt et ob habitum persimilem collectoribus facillime confunduntur, quamvis jam Brownius characteres partim exposuit, sed notis seminum insignium prætervisis veram L. gibbosam in sua L. simplicauli haud recognovit. Laciniæ corollarum superiores undique glabræ ab A. de Candolle e specimine L. gibbosæ originali Billardierii notatæ (Prodr. Syst. Nat. Regn. Veg. viii. 358) L. microspermam indicant, quare collectio Billardierii tam L. simplicicaulem quam L. microspermam fortasse sub nomine L. gibbosæ comprehendit, quod in Museo Lutetiano faciliter eruendum.

Lobelia dentata ad Illawarram (S. Johnson) et in Novam Angliam (C. St.) extendit. Semina triquetra, eis L. heterophyllæ, L. simplicicaulis et L. gracilis similia, fusca, lucentia, lævissima, aptera vel angustissime alata, vix $\frac{1}{4}'''$ longa.

Lobelia gracilis ad Clarence-River (Wilcox) et Severn (Hartmann) occurrit. Capsula vix longior quam lata.

Lobelia rhombifolia antecedenti simillima, passim tantum sesquipollicaris et uniflora. Hanc habeo a Wilson's Promontory (F. M.), Curdie's et Gellibrand's River (C. Walter), Mount William (D. Sullivan). Semina matura e nullo loco vidi.

Lobelia tenuior ad Geograph-Bay (Dr. Rosselloty) et Wilson's Inlet (Maxw.) extendit. Semina lucida, ovata, valde compressa, lævissima, fusca, circiter $\frac{1}{5}'''$ longa.

Lobelia membranacea producit semina fusca, ovata, turgidula, subtilissime punctulata.

Lobelia quadrangularis nervos foliorum prominentes ostendit. Semina fulva, nitida, lævia, ovata, compressa.

Lobelia Erinus prope Parramattam nunc spontanea, ubi a Reverendo Doctore Woolls lecta.

Lobelia purpurascens includit L. ilicifoliam (Sims Bot. Mag. 1896). Hanc accepi a Blackwood-River (McHard), Mudgee (Norman Taylor), Illawarra (S. Johnson), Lockyer-River (Hartmann), atque eandem legi ad Curdie's River. Formæ minores faciem L. peduculatæ exhibent. Semina $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{3}'''$ metientia, ovato-globosa vel ovata, compressa, reticulata. Vide quoque F. M. Plants of Victoria, lithogr. pl. L.

Lobelia stenophylla perquam cognata est L. purpurascenti. Hanc a Gainsford (Bowman) et Rockingham's Bay (Dallachy) obtinui.

Lobelia pedunculata hinc Isotomam fluviatilem illinc L. purpurascentem simulat. Cl. Norm. Taylor hanc ad Mudgee reperit, cl. Wilcox ad Clarence-River. Ipse eam usque ad Hume's River vidi, et varietatem glabram in regione nivali montis Kosciusko detexi. Corolla sæpe alba. Semina circiter $\frac{1}{8}'''$ metientia, pallide flava, opaca, lævia, globoso-ovata, compressa.

Lobelia anceps me ad Moreton's Bay reperta, de qua vide Proceedings of the Linnean Society 1858, p. 152. Drumm. 91. Semina nitida, compressa, fusca, ovata, lævia.

Lobelia Bergiana ad Gordon's River (Maxw.) nascitur, ad Blackwood's River (Walcott), Geograph-Bay (Bunbury), Lake Muir (Muir). Semina ovata, compressa, lævia, aptera.

Lobelia debilis (L. Fil. Suppl. Plant. 395 ; Monopsis debilis, Salisbury in Transact. Hort. Soc. Lond. ii. 37 ; Deless. Icon. v. t. 7 ; Presl. Prodr. 11 ; Alph. de Cand. Prodr. vii. 351 ; Harv. et Sond. Fl. cap. iii. 534) prope portum Jacksoni jam a Leichhardt et postea a Rob. Fitzgerald et Edwin Daintree lecta. Planta habitu formis minoribus L. Erini non absimilis, folia autem copiosius et argutius denticulata, corolla minor haud disjuncte bilabiata, lobi ejusdem non valde inæquales.

Lobelia concolor e pluribus novis locis nunc cognita est ; e. g. Campaspe's River, Murray's River, Edward's River, Murrumbidgee, Darling's River (F. M.), Mudgee (Woolls), Richmond-River (Fawcett), Condamine's River (Hartmann), Darling's Downs (Forde), Springsure (Wuth), Gilbert's River (Daintree).

Lobelia pratioides, quæ pecori admodum noxia, ad Lacepede's Bay (Babbage), Curdie's Inlet (Walter), Lake Corangamite, Lake Colac, Mount Elephant, Glenelg's River (F. M.), Geelong (Alfr. Douglass), Goulburn-River (Andr. Murray), Bendigo (Day), Wimmera (Winter), Ararat (Wyatt), You-Yangs (Fullagar) occurrit, nec non in Tasmania ad Hobarton (Hannaford), Spring-Bay, Parson's Pass et Brush-Plain (Dr. Milligan). Corolla cœrulea, passim rosea, intus barbellata. Antheræ dorso nonnunquam pilosulæ ; barba antherarum superiorum brevissima. Pratia puberula huic valde propinqua, sed planta tropica Bowmani ad Cape's River obtenta ab alpina mihi videtur diversa.

Lobelia platycalyx perparum lactescit. Novi loci : Mount Elephant, Mount Gellibrand, Lake Colac, Lake Corangamite, Port Fairy, Warrnambool, Gellibrand's et Hopkins River (F. M.) et in Tasmania ad Macquarie's Harbour (Dr. Milligan). Corolla rigidula, intus alba, extus purpurascens vel fere violacea. Semina brunnea, nitida, $\frac{1}{4}'''$ longa, ovata, compressa, reticulato-foveolata. Hæc species locos subsalinos quærit.

Lobelia dioica extendit ad Port Darwin (Schultz), South Alligator-River (F. M.), Norman's et Gilbert's River (Th. Gulliver). Semina perminuta, ovata, lævissima, lucida, fusca.

Goodenoviaceæ.

Calogyne heteroptera.

Pumila, sparse pilosa, fere acaulis, foliis lato-lanceolatis vel infimis ovatis in petiolum brevem angustatis integerrimis vel parum denticulatis, *pedicellis calyce aliquoties brevioribus,* laciniis calycis

angusto-lanceolatis tubo æquilongis vel longioribus, bracteolis nullis, *corolla minuta lutea, lobis superis brevissime et inæqualiter alatis* atque late auriculatis, inferis æqualiter latiuscule alatis, *stylo trifido,* indusiis lateralibus medio magnitudine æqualibus, capsula parva fere uniloculata ovato-globosa oligosperma, *seminibus apteris* ovatis.

In locis humidis montium Newcastle-Range ; Armit.

Herbula annua, ex unico specimine transmisso vix sesquipollicaris. Pili longiores rigiduli et eglandulosi, breviores crispuli et glanduligeri, in foliis parciores. Folia $\frac{1}{3}$–1″ longa, plana. Calycis laciniæ 1–1$\frac{1}{2}$‴ longæ. Corolla 3‴ longa, extus parce puberula, fere unilabiata, nempe secus tubum parce barbellatum antice ample aperta ; auriculæ cum tubo purpurascentes ; alæ loborum superorum eis ceterorum breviores et tantum vel præcipue extus evolutæ. Antheræ minutissime mucronulatæ. Stylus parce puberulus. Indusium medium inter lateralia brevissime stipitatum. Capsula vix 2‴ alta ; septum basale, brevissimum. Semina circiter 8, livida, lineam paulo excedentia, plana, ad utramque faciem asperulata. Approximatio tantum ad C. purpuream, cujus calyx lobos angustiores gerit, corolla undique intense purpurascit et alas æquales fert atque semina vix ad lineæ longitudinem extendunt.

Proteaceæ.

Grevillea eriobotrya.

(Sect. Hebegyna.)

Erecta, fruticosa, ramulis tomentellis, *foliis longe linearibus indivisis* subtus bisulcatis supra glabrescentibus et striolatis apice acutis, *racemis confertis* spiciformibus breviuscule pedunculatis dense multifloris, calycibus extus lanugine alba longe tomentosis intus glabris, *germine sessili cum stylo lanuginoso-villoso,* stigmate laterali depresso.

Prope montem Churchmani ; Young.

Planta G. pterospermæ persimilis, sed specifice distare videtur indumento racemorum longiore atque stylum vestiente, stipite germinis absente. Fructus ignotus.

Grevillea erectiloba.

(Sect. Plagiopoda.)

Fruticosa, ramulis subtiliter cano-sericeis, *foliis simpliciter pinnatisectis, segmentis erectis subulato-filiformibus subtus subtilissime bisulcatis,* corymbis terminalibus solitariis vel paucis confertis, pedicellis parce sericeis calycem fere semiæquantibus, *sepalis extus glabris* perparia inæquilongis superne unilateraliter revolutis interne sursum imperfecte sericeo-pilosulis, *toro valde obliquo* fere verticali, stylo pubescente, stigmate pæne laterali, glandula

hypogyna depressa, *germine breviuscule stipitato dense villoso-tomentoso.*

Inter Ularing et Mount Jackson ; Young.

Rami validi. Segmenta foliorum pauciparia, concoloria, longiora ad $2\frac{1}{2}''$ extensa, latitudine vix semilineam excedentia, haud aut perparum patentia. Bracteæ fugaces. Sepala longiora si porriguntur pollicem longa. Stylus calyce recurvato conspicue exsertus, crassiusculus. Pars stipitis libera vix ultra lineam longa. Indumentum germinis album. Fructus mihi ignotus.

Distinctio a G. longistyla jam foliis brevioribus tenui- et teretisegmentosis glabris, racemis nunquam elongatis et stylo breviore haud glabro exhibetur et fructu detegendo fortasse augebitur. Separatio a G. Wilsoni non difficilis propter foliorum divisionem simpliciorem et extensionem longiorem, ob segmenta horum tenuius sulcata nec compressa nec divaricata et pedicellos pilosulos.

G. insignis e serie Plagiopodæ carpidium glabrum fere sessile ovatum semipollicare crustaceum enerve et semina plana perangusto-alata gerit. Cl. W. H. Graham raram hanc speciem a fontibus fluminis Pallinup attulit.

G. Wilsoni foliis latius lobatis in eremo inter Ularing et Mount Jackson occurrit.

G. erinacea ad Mount Churchman calycem sericeo-pilosulum producit, qualem Meissner descripsit. Carpidium semper conspicue interdum triente supra basim stipiti affixum. Semina ellipsoidea, compressa, nigrescentia, margine carnulento livido fulvove cincta. Prope montem Churchmanii cl. Young porro reperit G. pterospermam, G. eriostachyam, G. petrophiloidem, G. eryngioidem et G. didymobotryam.

Grevillea apiciloba.

(Sect. Conogyne.)

Fruticosa, ramulis velutinis, *foliis longiusculis rigidis lineari-cuneatis antice digitate in lacinias* 3–5 *lato-lineares acutas parum divergentes subtus bisulcatas fissis*, spicis terminalibus breviter pedunculatis, pedicellis vix ullis, rachi villosulo-tomentosa, *calyce curvato perbrevi fere sericeo, stylo tenui glabro*, glandula hypogyna prominula, toro horizontali, *stigmate terminali perbrevi, germine sessili* sericeo, carpidio oblique ovato turgido acutiusculo sericeo-tomentoso, seminibus apteris.

Inter Ularing et Mount Jackson ; Young.

Ramuli validi. Folia $1\frac{1}{2}$–$4''$ longa, supra glabriuscula, subtus tomentella ; laciniæ $1\frac{1}{2}$–$7'''$ longæ. Spicæ densifloræ, bipollicares vel breviores. Bracteæ rhombeæ, nisi in formam ovatam vel deltoideam vergentes, lineam longæ, deciduæ, extus sericeæ. Sepala inæquilonga ; postica 4 rarius $5'''$ attinentia, omnia intus glabra. Stylus in floribus perpaucis me visis tantum $1\frac{1}{2}'''$ longus, in fructu

autem ultra 4‴ metiens, nunquam turgens. Stigma margine depressum, centro prominens. Carpidium $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longum. Semina oblonga, marginata, pendula. Radicula vix ultra basim cotyledonum extendens, inclusa.

A cl. Young prope montem Churchmanii *varietas digitata* vel species admodum affinis, foliis ad $\frac{1}{2}$–1″ abbreviatis igitur circuitu rhombeo- vel flabellato-cuneiformibus reperta; hujus plantæ folia insuper glabra, bracteæ saltem superiores lanceolari-subulatæ, stylus usque $\frac{2}{3}$″ longus, stigma pyramidali-conicum; sepala non vidi.

G. apiciloba ambitu sed non structura foliorum G. rudi (in sectionem Manglesiam facile trahendæ) haud dissimilis.

Nomen sectionis Anadeniæ, quæ (Benth. Fl. Austr. v. 425 et 482) plures species haud anadenias includit, in Orthogynam mutavi.

G. Banksii a Fitchio in Bot. Mag. 5870 bene illustrata fuit.

G. Barklyana in Gen. Report of the Melb. Bot. Gard. 1861, p. 14 et 18 primum signata.

G. Huegelii ad fontes Victoria-Springs varietatem integrifoliam foliis indivisis 4–6″ longis producit. Folia hujus varietatis eis G. bracteosæ, G. nudifloræ et G. brachystachyæ similia. De fructu vide notas in Cand. Prodr. xiv. 350 me datas. Segmenta foliorum interdum novem.

G. eryngioides racemos usque 2″ longos indumento glanduloso habet. Stigma quadrangulari-ovatum. Carpidium junius oblique orbiculari-ovatum, 3–4‴ longum. Semina juniora circum totum marginem alata.

G. ramosissima in montibus graniticis ad flumen Humei varietatem hypargyream exhibet, quam ipse detexi. Fructus parvi, velutini. Hanc speciem ad flumen Castlereaghii reperit Woolls.

G. petrophiloides inter Victoria's Springs et Ularing varietatem simplicifoliam gignit. Segmenta foliorum stirpis normalis canaliculata. Stylus infra stigma constrictus. Grevillea nematophylla inter Youldeh et Ouldabinna a cl. Young lecta, ubi carpidia ovata, modice compressa, circiter $\frac{2}{3}$″ longa, stylo orbata, lævia, stipiti saltem lineam longo basali imposita, satis dura. Semina nondum vidi.

Persoonia diadena.

(Sect. Pycnostylis.)

Fruticosa, ramulis tenui-sericeis mox glabrescentibus, *foliis longe linearibus semitereti-trigonis* subtus leniter bisulcatis supra obtusangulis apice fere pungentibus, floribus solitariis vel corymboso-paucis, *sepalo supero vix lenissime gibboso,* omnibus extus glabriusculis apice breviter cornutis, antheris in appendicem obtusam terminatis dimidium sepalorum fere excedentibus, *stylo brevissimo,*

stigmate fere laterali, germine sessili pæne glabro, *glandulis hypogynis posterioribus obliteratis.*

Ad montem Churchmanii cum P. comata ; Young.

Hanc Persooniam arcta affinitas ad P. Saundersianam trahit ; folia nec plana neque supra conspicue bisulcata, calyx fere æqualis et stylus brevior differentias fortasse specificas offerunt. Fructus utriusque comparandi sunt. Glandulas reperio duas tantum hypogynas bene evolutas, nempe anteriores et semiovatas, ut in P. Saundersiana.

P. pinifolia crescit prope Illawarra, fide collectionis cl. Camara.

P. rigida in Grampians atque ad Mitta-Mitta et Hume's River occurrit ; F. M.

P. Chamæpeuce quoque ad flumina Humei et Mitta-Mitta, nec non ad Wilson's Promontory extendit.

Petrophila anceps.

R. Br. Prot. Nov. 5 ; Meissn. in Cand. Prodr. xxv. 267 ; F. M. Fragm. vi. 243 ; P. linearis, var. anceps, Benth. Flor. Austr. v. 324. (Sect. Arthrostigma.)

Exceptis floribus fructibusque glabra, *foliis late linearibus margine pellucente acutis* omnino indivisis virentibus basim versus longe sensimque angustatis, capitulis terminalibus solitariis, *bracteis involucrantibus copiosis persistentibus* lanceolato- v. lineari-subulatis elongatis, bracteis floralibus rhombeo- v. cuneato-ovatis vix acuminatis parum indurantibus nervoso-striatis, calycibus longiusculis sericeo-tomentosis, stylo glabro, stigmatis articulo inferiore turbinato-clavato lævi, articulo superiore tenui infra medium hispidulo-barbellato, *caryopsi parva cordato-rotunda aptera margine atque altero latere villosa* et secus marginem brunneo-puberula.

Circum montes Stirlingi ; F. M.

Hæc species non jungenda P. lineari ; folia enim nec glaucescentia nec margine obtusa, sed hinc diaphana ; bracteæ florales minus acuminatæ, sæpius in basim elongatam protractæ ; flores minores ; stigmatis pars superior altius densiusque barbata ; caryopsis minor et infra medium non supra medium latior, ad faciem glabram concolor non vittam pallidam longitudinalem supra ample sericeam gerens.

P. semifurcata prope montem Churchmanii varietatem planifoliam formare videtur, nisi hæc planta a cl. Young collecta speciem seorsam constituit. Folia omnia in lacinias numero 2–4 variantes divisa. Bracteæ vacuæ haud involucrantes, tantum ad pedunculorum basim sitæ, 1–1½‴ longæ. Stigmata in exemplaribus post florescentiam collectis jam delapsa. Bracteæ fructiferæ in modum earum P. semifurcatæ lignescentes. Caryopsis cordata, longe sensimque acuminata, extus plana pallida et villoso-sericea,

intus atro-fusca convexa et parce villosa, margine ciliis longis compta ; quo modo fructus ei P. semifurcatæ satis congruit ; folia eorum P. linearis instar valde compressa, sed non integerrima. Planta autem si nova præclaro inventori dicanda.

LILIACEÆ.

Cæsia rigidifolia.

(Sect. Crinagrostis.)

Lævis, *foliis elongato-linearibus rigidis* prominenter striatis marginatis apice fere pungentibus, *racemis paniculatis parvifloris, pedicellis mox recurvatis cum calyce haud articulatis* perbrevibus, sepalis exterioribus valvatis lanceolatis apteris, interioribus imbricatis membraneis pallidis, filamentis brevibus concoloribus, stylo breviusculo, germine globoso haud lobato.

Ad fontes Victoriæ ; Young.

Planta 1–1½′ alta, glabra, forsan cæspitosa. Radix ignota. Folia pleraque ad summitates paniculæ extendentia, 1–2‴ lata, longitudinaliter complicata vel canaliculata, in basim latiorem apertam demum in fila solutam longe desinentia. Bracteæ ad bases paniculæ pollicem usque longæ, satis angustæ, longe acutatæ ; superiores ovato-lanceolatæ, acuminatæ, circiter sesquilineam longæ. Pedicelli calyce breviores. Sepala 1–2⅓‴ longa, primum recta, demum spirali-contorta, exteriora virentia, interiora obtusa. Filamenta alternate breviora. Antheræ luteæ, ovatæ, basifixæ, introrsæ, rimis duabus longitudinalibus dehiscentes. Stylus capillaris, lineam longus, indivisus. Stigma minutissimum, simplex. Germen paucigemmulatum. Capsula ignota.

Liliaceæ nostri musei phytographici præclaro Bentham diu transmissæ sunt pro elaboratione finali voluminis septimi Floræ Australianæ. Cohortem Cæsiarum et affinium igitur nunc ex autopsia comparare nequeo. Plantam autem Youngii habeo diversam a Cæsia sive Corynotheca lateriflora jam foliis radicalibus copiose evolutis et filamentis glabris ; a Cæsia parviflora foliis rigidis crassioribus, pedicellis sub flore non articulatis, floribus post anthesim pendulis, a Chlorophyti et Chamæscillæ omnibus speciebus forsan in unum genus jungendis paucitate gemmularum. Fructus fortasse stabilitatem generis Crinagrostis confimabit.

Fascicul. LXXXII. editus Martio 1876.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXIII.

Dilleniaceæ.

Tetracera Wuthiana.

Alte scandens, petiolis longiusculis, *foliis ovatis integerrimis acutiusculis prominenter et remotiuscule costatis basi rotundato-obtusis* utrinque nitentibus et glabris, venis inter costas prominulis, *paniculis amplis appresso-pilosis,* sepalis quatuor intus glabris, petalis tribus, filamentis apice subito valde dilatatis, *germinibus sericeis* tribus paucigemmulatis.

Ad flumen Daintree's River cum Pandano semifisso, Fitzalan ; ad oram Rockingham's Bay, Dallachy.

Planta facie Delimæ hebecarpæ. Cortex lævis. Lignum durum. Petioli $\frac{1}{2}$–1″ longi, præter summos apteri. Folia 3–5″ longa, 1$\frac{1}{2}$–2″ lata, crassiuscule chartacea, plana, excursu costarum superiorum raro denticulata. Paniculæ paucipollicares usque pedales. Pedicelli 2–10‴ longi. Bracteæ lanceolato- vel subulato-lineares, sesquilineam longæ vel breviores. Flores plerique bisexuales. Sepala inæquilonga, enervia ; interiora 2–3‴ longa. Petala calycem vix æquantia, parce ciliolata, e nota Dallachyi alba. Antherarum loculi ample disjuncti. Styli lineam longi, glabri. Stigmata dilatata. Carpidia ignota.

Species dicata cl. E. Wuth, M.D., qui e pluribus Australiæ orientalis tropicæ regionibus plantas mihi attulit ; ab ambabus aliis Australiæ jam cognitis longe distincta et ad T. euryandram potius accedens, divergens autem foliis floribusque minoribus, sepalis haud quinque, petalis tenuius membraneis, antherarum loculis ampliore filamentorum dilatatione longius distantibus et forsan carpidiis non glabris. Simillima vero nostræ novæ T. Borneensis (Miq. Annal. Mus. Bot. Lugd. Batav. iv. 76), quæ iterum T. fagifoliæ valde propinqua ; revera quidem pauca vidi discrimina in unico specimine tantum florente e collectione Korthalsiana, nempe sepala quinque intus partim sericea, stylos crassiores et longiores atque

præcipue germina glabra. Fructus autem omnium harum affinium caute comparandi remanent.

T. euryandra, cujus semina lucenti-atra, forsan extra Novam Caledoniam haud provenit ; planta saltem Indica sub hoc nomine nota, i. e. T. lucida, jam brevitate petiolorum distat et tali modo T. Rheedei approximat. T. lævigata (Miq. Flor. Ind. Batav. vol. i. pars. 2, p. 8) comparationem cum T. lucida ulteriorem requirit. Cl. Dr. Hance genus Delimæ junxit Tetraceræ ; conf. Seemann's Journal, April 1869.

Pandanus semifissus supra adnotatus tantum e fructu notus est. Phalanges e *carpidiis* 8–9 *fere ad dodrantem connatis* triente superiore liberis vertice attenuatis antice sulcatis constantes, circiter $2\frac{1}{2}''$ longæ. Nostra saltem quoad fructum Vinsoniæ palustri congenerica.

LEGUMINOSÆ.

Cassia cardiosperma.

Fruticosa, foliis brevissime petiolatis, stipulis minutis caducis, rachi perbrevi, *foliolis* 1–3-*jugis oblongis obtusis concoloribus sessilibus* obscure uninerviis, glandula stipellari inter par infimum conica decidua, pedunculis axillaribus perbrevibus, *umbellis bi- vel trifloris, legumine plano oblongo* oligospermo breviuscule graciliterque stipitato, valvis papyraceis, *seminibus fere obcordatis* transverse sitis valde compressis utrinque conspicue areoligeris.

In eremo virgultoso inter Victoria-Spring et Ularing ; Young.

Ramuli sericeo-tomentelli. Petioli vix lineam longi. Rachis 1–2''' metiens. Foliola pallide virentia, haud nitentia, ut plurimum inter $\frac{1}{2}$ et $\frac{3}{4}''$ longa, 1–$1\frac{1}{2}'''$ lata. Pedunculi 1–3''' longi. Pedicelli tenues, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}''$ metientes. Bracteæ cito cadentes, me non visæ. Flores ignoti. Legumina circiter pollicem longa, 3–4''' lata, stipite $1\frac{1}{2}$–2''' longo tenui prædita, basi styli rostellata, glabra. Funiculi capillares, lineam paulo excedentes. Semina nigro-fusca, splendentia, circiter 2''' longa et lata, ad partem basalem sive radicularem subito protracta. Albumen parcissimum, vix ullum. Cotyledones orbiculatæ, radicula fere triplo longiores.

Hæc species C. oligocladam approximat, abs qua facile divellitur petiolis rachibusque foliorum brevissimis, foliolis obtusis, pedunculis abbreviatis, leguminibus rectis et fortasse floribus post detectionem comparandis.

Jacksonia nematoclada.

Inermis vel parum spinescens, *ramis tenuibus elongatis teretiusculis* parum divisis ætate paulo striatis primum parce sericeis, *floribus lateralibus distantibus, pedicellis calyci fere æquilongis,* calycibus extus fere sericeis basi valde attenuatis, stylo deciduo, *legumine parvo globoso-ovato* calycis lobos demum deciduos

æquante dense sericeo stipiti dimidio breviori imposito intus crispulo-puberulo, funiculis breviusculis.

Prope Mount Churchman ; Young.

Planta circiter sesquipedalis, Sphærolobii facie, J. rhadinocladæ proxima, diversa autem ramis simpliciusculis saltem non copiose ramulosis lenius sulcatis, floribus longiuscule pedicellatis, bracteolis a calycis basi distantibus, calyce in basim longius attenuato, stipite leguminis longiore, funiculis abbreviatis. Petala et genitalia pro comparatione desunt.

Isotropis canescens.

Sericeo-pubescens, *foliis cuneato-obovatis* breviter petiolatis haud venosis, stipulis parvis subulato-semilanceolatis, *racemis paucifloris, pedicellis calyce paulo vel duplo longioribus*, stylo brevi, legumine oblongo-ellipsoideo acutiusculo.

Ad fontes Victoriæ ; Young.

Caules in unico specimine submisso procumbentes, 2–5″ longi. Radix filiformis, simplex. Petioli $1\text{–}1\frac{1}{2}'''$ longi. Folia $\frac{1}{3}\text{–}\frac{2}{3}''$ metientia ; nervi laterales et venæ obliterati. Calyces circiter 3‴ longi. Bracteæ semilanceolatæ, vix lineam longæ. Petala exemplaris suppetentis jam delapsa, ita ut stamina. Legumina turgida, depressa, fere Swainsonæ, uncialia vel paulo longiora. Semina numerosa, cordato-reniformia, funiculis longiusculis appensa, scilicet estrophiolata.

Ab Isotropi atropurpurea imprimis dignoscitur petiolis brevioribus, basi foliorum gradate angustata non truncato- v. rotundato-obtusata, pedicellis longioribus, calycibus minoribus canescentibus, legumine longiore.

I. atropurpurea in valle Glen of Palms et monte Olgæ varietatem autem canescentem, foliis calycibusque minoribus, pedicellis brevioribus, petalis dilutius purpureis et eorum inferioribus abbreviatis producit, nisi hæc planta fructu demum comparato specifice separanda.

Isotropis juncea prope montem Churchmanii a cl. Jess. Young lecta est. Eadem inter plantas Drummondi sub 278 distributa.

Euphorbiaceæ.

Monotaxis luteiflora.

(Sect. Eumonotaxis.)

Robusta, *foliis magnis* oblongo- vel angusto-lanceolatis planis in petiolum conspicuum angustatis, fasciculis capitatis sessilibus vel breviter pedunculatis, *floribus luteis, petalis obtusissimis* sepalisque quatuor, his obtusiusculis illa longe superantibus fere valvatis, *antherarum loculis contiguis*, connectivo brevissimo, capsula majuscula solitaria.

Ad Victoria-Spring et Ularing ; Young.

Planta pedalis nisi altior. Rami inferne 2–3‴ crassi. Folia ad $1\frac{1}{2}''$ longa et $\frac{1}{3}''$ lata. Pedicelli lineam raro excedentes, sæpe breviores. Calyces fere 1‴ longi. Antheræ luteæ, ut in Amperea pæne obverso-renatæ; loculi divaricati, sed non distantes. Stigmata lineam fere æquantia, bifida, papilluloso-fimbriata. Capsula trigono-globosa, lævis, calycem ter excedens, sesquilinearis. Semina plane maturata adhuc ignota.

Hæc Monotaxis colore calycum petalorumque sicut loculis antherarum non ample disjunctis ab aliis statim separatur, a M. macrophylla insuper floribus femineis singulis, a M. linifolia et M. occidentali foliis floribus fructibusque majoribus et petalis haud acuminatis.

Bertya quadrisepala.

Viscidula, *foliis linearibus margine revolutis* subtus velutinis supra ramulisque glabris, *floribus masculis racemosis terminalibus* unibracteatis, femineis solitariis, pedicellis illorum calyce paulo usque aliquoties longioribus, bracteis persistentibus longiusculis, *sepalis quatuor* rarius quinque semper margine barbellatis, stylis in stigmata tria fissis, capsula ovato-globosa glabra sepalis ter longiore.

Inter portum Esperance-Bay et montes Fraser's Range; Dempster.

Folia uncialia vel varie breviora, ob marginem recurvatum vix lineam lata. Racemi sessiles. Bracteæ lineares, $1\text{–}1\frac{1}{2}'''$ longæ. Sepala circiter lineam longa, florum masculorum ovata. Columna staminum 2–3‴ alta. Styli additis stigmatibus vix lineam excedentes. Capsula fere 3‴ longa, pedicello circiter semipollicari imposita, trisulcata. Semen unicum maturans, sesquilineam parum superans, ovatum, variegatum.

Species tam dispositione florum masculorum quam divisione calycum sæpe quaterna satis insignis.

Bertya Cunninghami in Australiam occidentalem extendit, ubi ad Victoria-Spring provenit.

Rhamnaceæ.

Pomaderris intangenda.

Cryptandra intangenda, F. M. coll.

Procumbens, *ramulis spinescentibus, foliis parvis obovato- vel oblongo-cuneatis herbaceis apicem versus crenato-dentatis utrinque glabris, floribus axillaribus solitariis* breviter pedicellatis, fructibus magnis saltem semiemersis disco glabro ample annulatis stylo superne triplice brevi-rostratis.

Inter portum Esperance-Bay et montes Fraser's Range; Dempster.

Frutex divaricato-ramosus, Cryptandræ facie. Ramuli perbrevi-pubescentes. Stipulæ latiusculæ, acuminatæ, ciliatæ, vix lineam longæ. Folia $\frac{1}{4}$–1″ longa, 1–3‴ lata, subtus pallidius virentia. Pedicelli 1–1$\frac{1}{2}$‴ longi. Bracteæ perminutæ, acutissimæ, ad basim pedicelli sitæ, mox deciduæ. Lobi calycis deltoidei, lineam metientes, decidui, glabri. Petala si aderant æque ac stamina in exemplaribus defloratis mihi admissis jam delapsa. Styli linea breviores. Fructus fere 4‴ longi, globoso-ovati, prope medium annulati, trirarius biloculati, glabri, parte sua inferiore tubo calycis arcte accreti. Semina matura ignota.

Positio hujus plantæ eximiæ inter Pomaderris species adhuc incerta, quæ petalis staminibusque notis forsan inter Cryptandras juxta C. nudifloram locanda.

Cl. Dempster ex eadem regione plantas, quæ sequuntur, præter alias in Australia occidentali frequentiores attulit: Sisymbrium nasturtioides, S. brevipes (Alyssopsis Drummondi, Turcz. in Bullet. Mosc. 1854, p. 291), Geococcus pusillus, Eriostemon nodiflorus, Geijera parviflora, Brachychiton Gregori, Lavatera plebeja, Codonocarpus continifolius, Aizoon quadrifidum, Beyera opaca, Monotaxis grandiflora, Clianthus Dampieri, Swainsona colutoides, Acacia acanthoclada, Aster Muelleri, Calotis hispidula, Minuria suædifolia, M. Cunninghami, M. leptophylla, Helipterum strictum, H. floribundum, H. Cassinianum, Microseris Forsteri, Isotoma petræa, Oligarrhena micrantha, Eremophila scoparia, E. latifolia, E. alternifolia, Myoporum deserti, Heliotropium asperrimum, Halgania lavandulacea, Teucrium sessiliflorum, Orobanche cernua, Solanum fasciculatum, S. lasiophyllum, Pimelea microcephala var. psilantha, Synaphea polymorpha, Dryandra obtusa, Conostylis Bealiana, Tribonanthes australis, Aphelia Brizula, Anarthria scabra, Festuca irritans, Eriochloa punctata, Chloris truncata, C. divaricata.

Halorageæ.

Haloragis confertifolia.

Erecta, brevi-hirsuta, *foliis parvis sparsis confertis ovato-lanceolatis* integerrimis vel sæpius supra medium paucidentatis, floralibus minoribus fere conformibus vel angustioribus, floribus tetrapetalis octandris tetragynis, *calycis lobis anguste semi-lanceolatis ciliatis petala fere æquantibus* vel iisdem triente brevioribus, fructibus parvis quadriloculatis rotundatis foveolatis tuberculatis prominenter quadricostulatis.

Prope fontes Victoria-Spring et Ularing; Young.

Planta perennis, digitalis usque sesquipedalis nisi altior, pluri-vel multicaulis, sparse ramosa. Folia creberrima, sessilia, plana; caulina sæpe 2–3‴ raro 4–5‴ longa; floralia bracteiformia nunc conspicue nunc parum minora. Calycum lobi circiter $\frac{2}{3}$‴ longi.

Petala fere lineam longa, dorso pubescentia. Filamenta brevissima. Antheræ tenues, muticæ. Stigmata florum masculorum imberbia, feminorum barbata. Fructus vix lineam longi, inter costas primarias lobis calycis continuas imperfecte nervulati.

Species propter copiam largam et exiguitatem foliorum sicut angustiam loborum calycum præ omnibus aliis sat singularis, in systemate locum prope H. foliosam et H. elatam occupabit.

Haloragis scoparia stigmata florum feminorum barbata habet, qualia jam ill. Fenzlius descripsit. Fructus quadrangulatus.

Holoragis aculeolata prope pagum Hamden crescit.

Haloragis odontocarpa icone xvii. in opere Lithograms of the Plants of the Colony of Victoria illustrabatur.

Haloragis micrantha prope Towombam reperta a cl. Hartmann.

Myriophyllum latifolium reperiunt ad Richmond Rev. Dr. Woolls, ad Brisbane's River F. Bailey, ad Rockhampton A. Thozet. Folia passim quaterna. Petala in floribus demum fructigerentibus saltem interdum præsentia. Carpidia lineam paulo excedentia, acutiuscula, verruculosa.

Myriophyllum oliganthum (Haloragis oligantha, W. et A. Prodr. Fl. Pænins. Ind. Or. 338 ; Wight Icon Plant. Ind. Or. 1061) speciem antecedentem valde approximat ; stamina autem illustrantur quatuor.

Myrtaceæ.

Eucalyptus salubris.

(Sect. Normales.)

Fruticosa, *foliis lineari- vel falcato-lanceolatis lucidis* copiosissime pellucido-punctatis, venis tenuissimis modice patentibus, longitudinalibus margini approximatis, umbellis 4–7-floris, *pedunculis ancipiti-compressis, operculo conico-hemiellipsoideo obtuso* longitudinem tubi hemisphærici bis terve excedente quocum lævi, filamentis ante anthesim infractis, antheris oblongis rima longitudinali utrinque dehiscentibus.

Inter Victoria-Spring et Ularing ; Young.

Ramuli satis graciles, teretiusculi, interdum pruinosi. Folia sparsa, 2–4″ longa, 3–9‴ lata, conspicue petiolata ; venæ immersæ, haud creberrimæ. Umbellæ axillares solitariæ et terminales breviter paniculatæ. Pedunculi circiter semipollicares, 1–1½‴ lati. Pedicelli 2–4‴ longi, paulo angulati. Operculum circiter 3‴ longum. Stamina bene evoluta et fructus ignota.

Speciebus pluribus cognata, e. g. E. angustissimæ, E. leptopodæ, E. oleosæ et E. reduncæ, sed uno alterove charactere facile distinguenda, foliorum autem forma sicut glandulis eorum oleigeris uberrimis varietati angustifoliæ E. amygdalinæ satis similis.

E. cornuta var. Lehmanni bene illustrata occurrit in Hook. Bot. Magaz. 6140.

Melaleuca leiocarpa.

(Sect. Spiciflorae.)

Fere glabra, *foliis sparsis crassis anguste lanceolatis mucronulatis* planis conspicue petiolatis immerso uninerviis, *spicis paucifloris primum terminalibus*, rachi parce lanuginosa, calycis tubo florente sua latitudine duplo altiore, lobis majusculis petaloideis, phalangibus pleiostemoneis, unguibus petala æquantibus vel breviter superantibus, *stigmate dilatato, fructibus lævissimis* truncato-ovatis.

Prope montem Churchmanii ; Young.

Folia pleraque longitudine inter 4 et 7‴ variantia, 1–1½‴ lata. Flores remotiusculi. Tubus calycum sub anthesi circiter 2‴ altus, omnino glaber ; lobi pallidi, semiovati, lineam paulo excedentes, decidui. Petala albida, lobis calycis fere dimidio longiora. Stamina in phalange 10–12 ; filamenta haud valde elongata ; antheræ pallide flavidæ, fere ovatæ. Stylus pæne semipollicaris, stigmate saltem duplo tenuior. Fructus circiter 3‴ longitudine et latitudine metientes, enerves, ramulo haud immersi, vertice leniter contracti. Semina pæne lineam longa.

Species hinc M. leiopyxidem, illinc M. crassifoliam attingens ; ab illa jam divergens petiolis longiusculis et tenuibus, mucrone foliorum, fructibus minoribus crassius lignescentibus basi rotundatis non fere truncatis ore haud ample apertis ; a M. laxiflora jam discedens foliis acutis subito non sensim in petiolum desinentibus, spicis florentibus haud foliose comosis, rachibus non glabris, calycibus basi non truncatis, calycum lobis longioribus et tenuioribus, stigmate conspicue dilatato nec styli crassitiem tantum æquante, fructibus majoribus circum os integerrimis ; stigmatum sicut fructuum forma potius ad M. Radulam spectat.

Melaleuca laxiflora ad Mount Churchman et M. Radula prope Ularing a cl. Young inveniebantur.

M. thymifolia ad flumen Brisbanei a cl. Dr. Prentice reperiebatur. M. squarrosa in Gippsland et aliis tractibus litoralibus Australiæ felicis frequens est, et passim petalis filamentisque albidis sed sæpissime sulphureis occurrit. In promontorio Wilsoni arbores hujus speciei usque 60′ altas, trunco 2′ crasso donatas reperi. Cortex pallidus, e laminis copiosis fere papyraceis.

M. linarifolia ad Rockhampton extendit ; cortex, notante O'Shanesyo, laxe lamellaris, albidus. Flores albi, fragrantes.

M. genistifolia, ut P. O'Shanesy observavit, corticem nigrescentem persistentem haud lævem producit. Folia aversa.

Kunzea peduncularis ramulos interdum pendulos gerit. Hæc arbor ad fluvios Hume's River, Yarra et Goulburn's River, obvenit.

Calothamnus blepharantherus ad Greenough's River a cl. C. Gray legebatur. Antheræ perangustæ. Altitudo totius fruticis usque 10-pedalis.

Compositæ.

Athrixia chætopoda.

(Sect. Ptilothrixia.)

Perennis, caulibus longiusculis ramosis, *foliis oblongis margine revolutis cum ramis involucrisque lanugine alba tomentosis, pedunculis prælongis setiformibus*, involucri hemisphærici squamis pluriseriato-imbricatis appressis, corollis florum feminorum altissime tubulatis, acheniis glabris, pappi setis octo vel paucioribus apicem versus plumulosis, abbreviatis nullis.

Inter fontes Victoria-Spring et Ularing ; Giles et Young.

Hanc Athrixiam juxta A. tenellam pones ; radix autem non annua ; caules longiores ; totum indumentum albo-lanugineum ; folia latiora et obtusa ; squamæ involucrorum haud squarrosæ, sed lanugine cohærentes ; corollæ glandulis haud conspersæ ; pappi setæ numero auctæ.

Minuria Candollei.

M. integerrima, Benth. Flor. Austral. iii. 499 ; M. denticulata, Benth. l. c.; Therogeron integerrimus, Cand. Prodr. v. 283 ; T. denticulatus, Cand. l. c. ; Erigeron Candollei, F. M. in Benth. Flor. Austr. iii. 499.

Glabra vel partim lanuginosa, foliis lineari- vel oblongo-lanceolatis integerrimis vel denticulatis glaucescentibus, involucri squamis angusto- vel lineari- vel oblongo-lanceolatis haud ciliatis, floribus femineis pluriseriatis, *ligulis perbrevibus* albis vel cœrulescentibus, acheniis fertilibus parcissime pilosulis, pappi horum setis paucis, *pappo florum masculorum exteriore e squamulis perpaucis lanceolatis v. linearibus brevissimis constante* vel absente, interiore oligochæto.

Per regiones aridiores Australiæ extratropicæ interioris et centralis ample frequens.

M. suædifolia extendit ad Venus-Bay et Streaky-Bay (Babbage) et ad Fowler's Bay (Richards). Ligulæ flavæ.

M. leptophylla a portu Phillipii (You-Yangs) ad montes Macdonnell's Range et Mount Olga nisi amplius vergit, nec non usque Fowler's Bay (Giles) et Eucla-Harbour (Richards).

Stylideæ.

Stylidium squamellosum.

Cand. Prodr. vii. 782 ; Sond. in Lehm. Pl. Preiss. i. 377 ; S. cæspitosum var. subbulbosa, Benth. Flor. Austr. iv. 12. (Sect. Tolypangium.)

Perenne, caulibus fere glabris, *foliis radicalibus dense confertis linearibus vel lanceolato-linearibus* acutiusculis muticis planis parce glanduloso-ciliatis margine haud pellucentibus, caulinis perpaucis bracteiformibus sparsis, racemo patente, bracteis lineari- vel lanceolato-oblongis basifixis, pedunculis pedicellisque parce

glanduloso-pilosis, *calycibus glabris*, lobis omnibus liberis lineari-oblongis, tubo perparum turgente, *corolla flava, columna basi subito ample dilatata et inflexa*, fauce nuda, labello appendiculato, *capsula ellipsoideo-cylindracea apice tenus septata*, placentis prææalte extensis, seminibus perminutis glabris.

Ad flumen Gordonis et in locis vicinis; Drummond, 172.

Species a S. cæspitoso longe diversa, ut jam Candolleus bene monuit ad Nitrangii sectionem vergens; folia enim margine nunquam hyalina, calyces nec glanduloso-pilosuli nec conspicue turgidi, basis columnæ multo amplior, capsulæ tenuiores, septum haud brevissimum v. perbreve non tantum partem inferiorem cavitatis occupans, et corollæ color flavus in S. cæspitoso nisi fallor albidus.

S. cæspitosum ad flumen Warren's River legit Pemb. Walcott.

Stylidium limbatum.

(Sect. Tolypangium.)

Perenne, rhizomate crasso, *foliis omnibus radicalibus dense confertis lato-linearibus planis mucronulatis margine hyalino transverse striolato limbatis*, caulibus aphyllis cum panicula glanduloso-pubescentibus, bracteis ovato- vel oblongo-lanceolatis basifixis, calycum lobis brevibus ovato-oblongis omnibusque liberis, corolla alba vel purpurascente, labello appendiculato, *capsula fere ovata præter basim uniloculata.*

Ad fontes Victoriæ; Young.

Rhizomatis pars inferior ignota. Folia numerosa, glabra, $1\frac{1}{2}$–3″ longa, enervia, superne usque 2‴ lata, inferne sensim angustata, utrinque dilute virentia et nitidula. Caules addita panicula fere pedales vel paulo longiores. Bracteæ 1–2‴ longæ. Pedicelli sesquilineares vel breviores. Calycum lobi vix lineam longi. Corolla parcius glanduloso-pubescens; tubus brevissimus; appendices faucis forsan nullæ; lobi brevissime unguiculati, oblongo-ovales. Columna glabra, ad basim non cucullata. Gemmulæ in placenta pæne basali plurimæ. Capsula semimatura 3‴ longa, basi tantum septata. Semina matura ignota. Hoc novum Stylidium prope St. cæspitosum stabit, abs quo remotum propter pilos copiosissimos, folia rigidula latiora et sæpe longiora, inflorescentiam conspicue ramosam et expansam; discrimina, quibus a St. dispermo distat, reperi in habitu altiore, floribus majoribus, fauce corollæ forsan exappendiculata, fructu haud rotundo; a St. assimili disjungitur foliis majoribus et planioribus pallidis non muticis, rhizomate crassiore; ab omnibus tribus insuper recedit margine foliorum limbum diaphanum et radiolato-striatum formante, cujus autem limbi initium in St. cæspitoso observavi.

S. assimile reperies usque Cape Arid; caules sæpe pubescentes.

S. crossocephalum habeo a Champion-Bay (Guerin) et Greenough's River (C. Gray); hæc planta interdum vix digitum alta. Corolla columnam superans; lobi circiter 4''' longi.

S. diversifolium a fluvii Blackwood-River ripis accepi.

S. junceum ad Geograph-Bay legit Bunbury, ad Blackwood-River, McHard.

S. piliferum ad Mount Churchman reperit Young, ubi quoque varietas glabricaulis S. elongati occurrit, cujus semina puberula et $\frac{1}{2}'''$ longa.

S. perpusillum circum Stirling's Range vidi.

S. repens nunc a Greenough's River habemus.

Stylidium graminifolium ad altitudinem paucipollicarem reductum et quadriflorum vidi inter Circular-Head et Arthur's River. Corolla passim quinqueloba. S. aciculare ad S. lineare pertinet, forsan quoque S. setaceum; in floribus enim, quos a specimine Billardieri cl. Decaisne mihi transmisit, labia calycis breviter dentata.

S. despectum ad flumen Edwards-River et montem Mount Remarkable reperi.

S. eglandulosum ad Dyngie legit Maria Ross, ad Thomson's River C. W. Birch.

S. floribundum e tractu Macdonnell's Range attulit E. Giles.

S. Floodii accepi e regione fluminum Gilberti et Normani (Th. Gulliver), a portu Darwini (Schultz), a Mueller's River (Birch).

S. eriorrhizum habeo a Gilbert's River (Daintree), Rockhampton (O'Shanesy).

S. alsinoides legit ad Pearl-Creek E. Bowman.

S. debile ad flumen Severn reperit Hartmann, ad Maryvale A. Thozet.

S. fasciculatum ad Warren's River legit Pemb. Walcott.

Leeuwenhœkia dubia attinet flumen Edwards-River (F. M.), oppidum Mudgee (Woolls), insulam Flinders-Island (Milligan), pagum Pontville Tasmaniæ (Spicer), Blackwood-River (Hester).

L. pusilla ad Geograph-Bay extendit; flores numeravi interdum ultra 500 in unica plantula.

Phyllachne bellidifolia nascitur ad fontes fluminis Picton's River Tasmaniæ, ut cl. R. Johnston demonstravit.

Donatia Novæ Zelandiæ ad montes Fieldii me ipso reperta est scilicet in regione alpina; cl. Th. Gulliver eandem ad Eldon's Bluff obtinuit.

Goodeniaceæ.

Scævola oxyclona.

Præpatenti-ramosissima, *sericea*, *ramulis spinescentibus*, *foliis minutis* lineari-lanceolatis integerrimis, floribus sparsis, pedicellis brevissimis v. nullis, bracteolis lanceolato-linearibus canaliculatis,

calycis minuti dentibus deltoideo-ovatis, corolla extus sericea intus infra lobos pallide alatos velutina, antheris muticis imberbibus, stylo glabro, indusii dorso velutino-barbato, drupa parva exsucca ovata foveolata disperma.

Ad montes Fraser's Range et Mount Benjamin ; Dempster.

Fruticulus habitu Jacksoniæ. Ramuli tenues, numerosi, intricati. Folia $1\frac{1}{2}$–6‴ longa, sessilia, acuta, summa subulato-linearia. Bracteolæ circiter sesquilineam longæ. Calyces florentes vix lineam excedentes ; dentes brevissimi. Corolla circiter semipollicaris ; alæ nec venosæ nec ciliatæ, parum latæ. Antherarum connectivum truncatulum. Stylus 3‴ longus. Os indusii ciliatum. Fructus sesquilineam vix excedens.

In viciniam seu S. spinescentis (cujus corollæ flavæ) seu S. parvifoliæ ponenda.

S. parvifolia ad flumen Thomsoni a Birch, ad fontem Victoriæ a Young inveniebatur. Folia radicalia ad pollicem usque longa et obovato-lanceolata. Stylus glaber.

LABIATÆ.

Depremesnilia.

Calyx obconicus, breviter quinque-dentatus, decem-sulcatus ; dentes deltoidei, æstivatione valvati. Corollæ tubus brevis ; labium superum brevissime bilobum ; labii inferi lobus medius lateralibus amplior. *Stamina quatuor fertilia. Antheræ omnes biloculares ; loculi inferne soluti, basi minute appendiculati ;* connectivum brevissimum. Stigmatis lobi brevissimi, subulati. Germen quadriloculare.

Frutex nisi fruticulus Australiæ occidentalis extratropicæ, *foliis ternato-verticillatis integerrimis, floribus axillaribus solitariis.*

Genus a Prostantheræ speciebus omnibus dispositione foliorum et dentatione calycum atque a plerisque antheris ecalcaratis divellendum ; ad Westringiam staminibus suis fere eandem positionem tenens quam Chloanthus ad Hemiphoram, calycibus quoque ad Hemigeniæ sectiones Atelandram, Pentodontam et Dichantheram vergens. Dicationem generis hujus novi offero prænobili comiti D'Epremesnil, societatis Gallicæ pro acclimatione plantarum animaliumque utilium diu enixo et digno propræsidi.

Depremesnilia chrysocalyx.

Inter Esperance-Bay et Fraser's Range ; Dempster.

Planta Westringiæ facie. Ramuli ternati vel sparsi. Folia fere plana, patentissima vel revergentia, rotundo-ovata, acutiuscula, $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$‴ longa, brevissime petiolata, supra glabrata et convexa, subtus cum ramulis æque ac pedicellis bracteolis calycibusque fulvo-lepidota, nitentia. Flores secus supremam ramulorum partem

racemoso- vel fere spicato-conferti. Pedicelli circiter lineam longi, minute bibracteolati. Calyces longitudine vix 3''' metientes. Corollæ tubus inclusus, intus dense villoso-barbatus ; labia extus stellari-tomentella ; superioris horum lobi rotundi, linea paulo breviores ; labii inferioris lobus medius æstivatione interior, rhombeo- vel quadrato-rotundus, $1\frac{1}{2}$–2''' latus ; lobi laterales semiovati. Filamenta glabra, capillaria, e corollæ tubo breviter emersa. Antherarum loculi modice divergentes, basim versus sensim attenuati. Stylus 2–3''' longus, glaber, capillaris. Germen pilosulum, vertice leniter impressum. Carpidia matura ignota. Albumen seminum quærendum, forsan præsens.

Myoporinæ.

Eremophila Dempsteri.

(Sect. Eremocosmus.)

Virgato-ramosa, *foliis brevibus sparsis crassis linearibus mucronulatis uncinato-recurvatis* integerrimis cum ramulis pedicellisque glabris, pedicellis solitariis calyce æstivatione aperto bis terve brevioribus, *sepalis parvis lanceolatis acutis basi angustata disjunctis intus margineque lanuginoso-tomentosis* extus glabris viscidulis, corolla brevi externe pubescente, labio infero superum vix acutilobum parum excedente, lobis rotundatis vel semiovatis tubo intus parcissime barbato aliquoties brevioribus, staminibus inclusis, germine tomentoso biloculato imperfecte quadrilocellato, locellis bigemmulatis.

In montibus Fraseri et oram Esperance-Bay versus ; Dempster.

Ramuli fruticis forsan altioris visciduli, mox foliis orbati, paulo angulati. Folia utplurimum inter 2 et 3''' longa, supra planiuscula nisi lenissime canaliculata. Sepala circiter 2''' alta, nisi seriore ætate longiora, subtiliter trinervia. Corolla vix semiuncia longior, fortasse alba, a basi ad orificium sensim ampliata ; lobus labii inferi medius lateralibus vix latior. Filamenta glabra. Stylus parcissime pilosulus. Stigma brevissime bidentatum. Discus glaber, sinuoso-denticulatus. Fructus nondum cognitus.

Plantam, quam hic descripsi, typicam æstimavi ; adest autem ex eadem regione nempe a tractu inter Fraser's Range et Esperance-Bay jacente altera Eremophila, quæ forsitan varietatem quidem insignem sistit ; folia hujus longiora planiora diutius persistentia apice minus curvata, pedicelli sæpe geminati raro terni, flores duplo triplove minores, sepala obtusiora tantum ciliata saltem non dense barbata, corolla extus fere glabra. Hæc varietas sive species proxime cognata nomen *E. exilifloræ* accipere potuit, et E. Dempsteri in viciniam E. Sturtii portat, quæ ultima autem foliis longioribus, pedicellis calyci saltem æquilongis, sepalis amplioribus obtusis imberbibus, corollis majoribus intus densius barbatis jam sufficienter demovetur. E. Paisleyi præter pedicellorum multitu-

dinem et brevitatem fere iisdem notis quam E. Sturtii distat, sed saltem quantum hodie scimus conjungi nequit. E. densifolia, E. microtheca et E. adenotricha, aliquot characteribus approximantes, ob sepala inferne nec superne latiora jam ad aliam generis sectionem pertinent. Collectio Dempsteri ex eodem tractu alteram varietatem vel speciem admodum finitimam nobis offert, cujus folia plana anguste lanceolata fere pollicem longa, sepala omnino glabra 3–4‴ longitudine metientia, corolla extus glabra intus intensius barbata, stylus evidenter pilosulus. Hæc planta, fructibus maturis amplius comparanda, nomine specifico E. psilocalycis signari queat. Hæc ad E. Mitchelli vergit.

PROTEACEÆ.

Petrophila megalostegia.

(Sect. Arthrostigma.)

Præter inflorescentiam glabra, *foliis teretibus indivisis* squarrosis exsulcis mucronatis, capitulis terminalibus sessilibus depresso-globosis, *bracteis involucrantibus magnis* ovatis vel lanceolatis acutis glabris capitulum alte cingentibus, *bracteis floralibus chartaceis glabris ovato-lanceolatis acutis inferne striatis* superne lævibus demum patulis, sepalis extus tota longitudine sericeo-tomentosis, stylo glabro, *stigmatis articulo inferiore turbinato-clavato* imberbi, superiore præter apicem patentissime hirtulo-barbato, caryopsi rhombeo-rotunda sursum latiore ad faciem externam villosulo-sericea ad internam villis longiusculis obtecta.

In Australia occidentali extratropica ; J. Drummond.

A Petrophila aciculari separatur foliis brevioribus crassioribus et pungentibus, bracteis infimis abbreviatis haud angustissimis, vacuis ceteris majoribus haud subito acuminatis, bracteis floralibus non apice tenus striatis, caryopsibus ad faciem externam haud glabris ; a P. teretifolia, P. longifolia et P. media præter paucas alias notas jam forma et magnitudine bractearum involucrantium sejungitur.

CASUARINEÆ.

Casuarina acutivalvis.

(Sect. Acanthopitys.)

Erecto-ramulosa, *articulis subtilissime striatis in dentes circiter duodecim lineari-subulatos terminatis*, strobilis majusculis globoso-ovatis, bracteis sericeo-tomentellis subito in cuspidem longiusculam subulatam productis, *bracteolis valviformibus crassis pungenti-acuminatis dorso exappendiculatis*, seminibus ovatis basi cuneatis, testa nuclei spadicea.

Ad fontes Victoriæ ; Young.

Articuli ramulorum $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}''$ longi; primum puberuli, demum glabrati, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}'''$ crassi. Folia dentiformia, atrofusca, ciliolata, circiter lineam longa, facile defrangentia. Flores ignoti. Strobili, quorum duo tantum collecti, sesquipollicares vel paulo longiores. Bracteæ antice fere truncatæ, lignescentes, valvis seminigeris longiuscule superatæ; valvarum pars libera sericeo-velutina, $1\frac{1}{2}$–$2'''$ alta, extus turgida. Semen addita ala circiter $4'''$ longum.

Huic speciei proxima C. bicuspidata, cujus autem valvæ fructiferæ dorso in appendicem acuminatam productæ.

A C. quadrivalvi jam distat lenissima ramulorum striatione, bracteis haud sensim acuminatis, bracteolis fructigeris minoribus acutioribus basim versus non conspicue tuberculatis nec longitudinaliter seriatis.

Casuarina quadrivalvis ob habitum eximie pendulum appellationem specificam C. strictæ quamvis priorem servare nequit.

Casuarina Decaisneana ex observationibus Gilesii et Tietkensii per Australiam centralem ample extendit; tali modo ab Alberga et rivo Finkei ad montem Olgæ, ad Macdonnell's, Musgrave's, Barrow's, Petermann's et Rawlinson's Range. Vide Append. to Giles's geographic travels, 222. Truncus a basi ad ramorum initium usque 25-pedalis.

Casuarina Huegeliana, quæ præter alias notas seminibus brunneis non pallidis a C. glauca jam divellenda, orientem versus usque Ularing et Victoria-Spring vergit, ubi varietas lasiocarpa gignitur.

Casuarina microstachya usque ad montem Churchmani vergit nisi ulterius, ut collectio Youngii docet.

Casuarina corniculata.

(Sect. Acanthopitys.)

Erecto-ramulosa, *articulis subtilissime striatis in dentes octo usque decem deltoideo-semilanceolatos terminatis*, strobilis parvis globoso- vel cylindraceo-ovatis, bracteis perbrevibus sensim acutatis, *bracteolis valviformibus crassiusculis parum acutis appendice dorsali subulato-acuminata superatis*, seminibus parvis, testa nuclei spadicea, ala cuspidulata.

Prope montem Churchmanii; Young.

Articuli ramulorum $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{2}''$ longi, circiter lineam crassi, glabri. Folia dentiformia fere semilineam longa, paulisper ciliolata. Flores ignoti. Strobili $\frac{2}{3}$–$1''$ longi. Valvularum pars libera ad linea altitudinem protrudens; appendices inferne crassæ et lignescentes, cum valvarum facie exteriore parcissime sericeæ. Semen addita ala $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longum.

Distinctiones hujus speciei a C. distyla sunt: ramuli crassiores lenius sulcati, auctus foliorum dentiformium numerus, bracteæ acutius mucronulatæ, bracteolæ fructificantes haud obtusissimæ, appendices in mucronem subulatum valde elongatæ, quæ ultima

nota plantam hancce novam in aliam sectionem ponit. Discrimina, quibus a C. Huegeliana separatur, jam in fructibus minoribus et eorum valvis longo- et pungenti-acuminatis reperiuntur. Dentes articulorum haud setacei, fructus iterum minores, bracteolæ fructificantes non rigide acuminatæ, appendices bracteolis haud conformes sed conspicue angustiores eas autem mucrone spinuliformi excedentes novam a C. biscuspidata discriminant. Species prope C. glaucam in systemate stare potuit, quum ab hac præcipue valvarum lateribus subulato-corniculatis atque seminum colore remota.

Cycadeæ.

Cycas Cairnsiana.

Glaucescens, petiolis ad basim usque dentatis, *foliolis linearibus margine recurvis utrinque pallidis* basim versus cum rachi parce tomentellis, *rachibus femineis dicarpis* longiusculis in laminam rhombeo-lanceolarem sensim longe acuminatam sursum breviter paucidentatam quater quinquiesve longiorem quam latam utrinque glabram terminantibus, fructibus pruinosis glabris.

Ad montes Newcastle-Range ; Armit.

Mensura caudicis mihi ignota. Basis petioli paulisper pubescens. Folia inferiora ad dentes breves acutissimos reducta, cetera subito elongata ; plurima inter 5 et 7″ longa ; nulla ultra 2‴ lata. Flores masculi nondum noti. Pedunculus fœminus in exemplari unico allato 5″ longus, circiter 4‴ latus, semiteres, fere glaber ; lamina bipollicaris. Fructus laminulæ diagonali ovali cicatricem formanti partim tomentosæ insidentes, ovato-globosi, $1\frac{1}{2}$″ longi ; integumentum exterius haud succulentum ; interius variegato-fuscum, nitens. Nucleus carnosus, ad hilum foveola impressus, extus undique lividus ; cavitates juxta hilum paucæ, ellipsoideæ, circiter lineam longæ.

Hæc Cycas bene distincta videtur tum a Cycade Normanbyana, tum a C. media ; ab illa digergit angustia brevitate pallore et distinctiore recurvatione longitudinali foliolorum, elongatione pedunculorum fructigerorum sicut glabritie et parciore dentatione laminæ terminalis ; a Cycade media characteribus foliolorum jam notatis, pedunculis forsan semper dicarpis, forma et glabritie laminæ terminantis, nec non ab ambabus pericarpio quantum vidi exsucco et petiolis non inferne edentatis.

Nomen specificum pro dicatione selectum inter plantas monumentum manebit administrationis viri excellentis W. W. Cairns, coloniæ Queensland dictæ digni Gubernatoris, ordinis a sanctis Michæli et Georgio socii, Marchionis de Normanby successoris.

Habeo folia cujusdam Cycadis prope Escape-Cliff ab Hulls lecta et alia ad Castlereagh's River a B. Gulliver obtenta, iis cum petiolis C. Cairnsianæ non dissimilia, non tamen eximie pallida.

ORCHIDEÆ.

Adenochilus Nortoni.

Fitzgerald's Australian Orchids, part 2 ; 1876.

Glaber, *folio ovato-cordato*, flore majusculo, sepalis inferioribus lato-lanceolatis interiora superantibus, supremo parum acuto, *columnæ parte antheram suberante ample sinuato-emarginata* obtuse dentata.

Ad cataractas montium Blue-Mountains rarissimus; J. Norton.

Planta memorabilis, genus Novo-Zelandicum in floram Australianam ducens ; a congenere, scilicet A. gracili (J. Hook. Flor. Nov. Zel. i. 246, t. lvi. f. A), forsan specifice disjungenda foliis sepalisque latioribus, his quoque longioribus non glanduloso-puberulis, horum supremo non acuminato, præsertim autem columnæ vertice haud usque ad antheram bifido, sinu non angusto et lobis columnæ apicalibus non sensim acuminatis. Præcl. Fitzgerald sepala alba rubro-maculata reperit, atque appendicem clavatam bracteæ oppositam, forsan rudimentum floris alterius indicantem æqualiter in A. gracili provenientem illustravit ; porro pollinia in utroque loculo quatuor tali modo eis Acianthi et Eriochili æqualia reperit ; sed hæc pollinia valvis antheræ revergentibus mox nuda redduntur. Plantam Novo-Zelandicam statu naturali nondum vidi ; distinctiones igitur e comparatione iconis Fitchianæ exposui.

Adenochilus se tenet ad Caladeniam, quam Glossodiæ sectio Elythranthera ad Euglossodiam, quare illud genus ad id Caladeniæ facillime trahendum ; tunc A. gracilis (sub Caladeniæ Hookeri nomine) æque A. Nortoni stabunt juxta C. Menziesii, cujus quoque floribus appendix clavellata vel setacea prope pedicelli basim sæpe enascitur.

Phreatia limenophylax ad flumen Russell's River a Walt. Hill lecta est.

Dipodium punctatum per silvas totius provinciæ Victoriæ dispersum vidi.

Spathoglottis Paulinæ ad Cape Sidmouth a Doctore Curdie, ad Cape Granville a cl. Reedy legebatur.

Phajus grandifolius e vicinia fluvii Richmond-River a cl. Fawcett missus est.

Gastrodium sesamoidem e Nova Anglia accepi ; crescit quoque prope Ballarat (Bacchus) et secus fluvios Thomson's River (Gargurevich) et Watts's River (Walter).

Corymbis veratrifolia ad flumen Daintree's River reperta ab Eug. Fitzalan.

Goodyera polygonoides eodem loco occurrit fide collectionis Fitzalani. Spica usque dodrantalis, cum pedunculo scapiformi pubescens. Capsula ovata, fere $\frac{1}{2}''$ longa. Semina usque lineam longa, tenuissima.

Spiranthes australis nunc nota a Towomba (Hartmann), Hume's River (F. M.), et e variis alpium Australiæ convallibus; var. pudicam (S. pudicus, Lindl. Collectan. t. 30) habemus e montibus Blue Mountains a cl. Edwin Daintree.

Microtis atrata ad Curdie's River nascitur, ubi me ipso inventa.

M. porrifolia (R. Br. Prodr. 321) ad Lord Howe's Island (Fullagar), Murrumbidgee (F. M.) et Russell's River (W. Hill) extendit. Semina crassiuscula, brevissima. Notæ de seminum natura in definiendis Orchidearum generibus hactenus admodum neglectæ.

Corysanthes fimbriata ad Grampians (Sullivan) et in Flinders's Island (Milligan) occurrit.

Lyperanthus nigricans in eremos trans flumen Murray's River et sinus Spencer's et St. Vincent's Gulf (F. M.) extendit.

Diuris æqualis.

F. M. in Fitzgerald's Australian Orchids, part 2, 1876; D. maculata var. concolor, Benth. Fl. Austr. vi. 328.

Gracilis, foliis elongato-linearibus canaliculatis, racemo distanter paucifloro, *pedicellis elongatis,* unguibus sepalorum lateralium lamina obtusissima longioribus, sepalis infimis viridibus lateralia longitudine fere æquantibus, *sepalo supremo cetera semiæquante truncato-rotundato cum labello concolori-luteo, labelli lobis lateralibus medio longitudine et latitudine fere æqualibus* oblique cuneato-obovatis, lobis columnæ laciniatis antheram superantibus.

Prope urbem Liverpool, lacum Georgi et Mornya; R. Fitzgerald.

Eximius Orchidearum Australiæ illustrator signa distinctionis inter D. æqualem et D. maculatam in opere suo splendido bene exposuit. Nostra nunc iterum separata ad D. longifoliam proximius stare videtur; gracilitate autem sicut sepalis præter ima puro-luteis, lateralibus minoribus longius unguiculatis, supremo obtusissimo, labelli lobis lateralibus latioribus, medio supra prope basim distinctius bicarinato haud difficulter removetur.

D. alba a cl. Fitch in J. Hook. Bot. Mag. 6210 bene illustrabatur.

Liliaceæ.

Arthropodium dianellaceum.

Gracile, fibris radicis tenui-tuberosis, *foliis angustissime linearibus, pedicellis setaceis solitariis cum calyce articulatis* rigidulis arcuato-recurvatis, bracteis minutis, sepalis deciduis cœrulescentibus, interioribus anguste alatis integerrimis sursum sensim acutiusculis stamina conspicue superantibus, *antheris sulphureis filamento superne incrassato et aureo-barbellato saltem duplo*

longioribus poro duplice apice apertis, capsulis parvis membraneis vertice impressis, *seminibus in loculo solitariis* lucidis.

Secus valles fluminis Brisbane's River sicut in locis vicinis; Bailey.

Planta spithamæa usque ulnaris. Tegmen vidi nullum setosum circum caulis basim. Folia lineam lata vel angustiora. Pedicelli calyce longiores. Sepala interiora tantum lineam lata. Antheræ tenues, sesquilineam longæ. Capsula $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}'''$ metiens; loculus passim tantum unicus fertilis. Semina atra, oblique ovata, paulo compressa, lineam circiter longa. Embryo leniter curvatus, albumen longitudinaliter ample percurrens.

Stirps ab omnibus A. stricti formis videtur specifice distincta; antheris Agrostocrino stypandroidi advenit, radicibus autem Arthropodio paniculato. Arthropodio Preissii jungi nequit.

Aroideæ.

Typhonium angustilobum.

Glabrum, petiolis pertenuibus, *foliis in segmenta tria longe linearia divisis*, spatha latiuscula spadicem alte superante, apice spadicis cylindrico-subulato, organis neutris juxta germina superiora sitis ab antherarum cylindro distantibus.

Ad flumen Gilberti; Armit.

Tuber globosum, sesquipollicare. Petioli plures, circiter spithamæi, superne vix lineam crassi, prope basim modice dilatati. Segmentum foliorum medium 5–7″ longum; segmenta lateralia medio paulo vel sæpius triente breviora; omnia tantum 1–$1\frac{1}{2}'''$ lata. Inflorescentia foliis coætanea. Pedunculus spathæ 4–5″ longus, linea paulo crassior. Spatha fere spithamæa, inferne cucullata, superne ad latitudinem $3\frac{1}{2}''$ dilatata, apice acuminata. Spadicis pars fœmina vix ultra pollicem alta; spatium organis neutris occupatum paucilineare; spatium nudum fere pollicare; cylindrus antherarum addita parte spadicis suprema $2\frac{1}{2}''$ longus. Stigmata centro convexa, margine depressa. Fructus ignoti.

Species ob lobos foliorum angustissimos præ omnibus congeneribus jam singularis. Genus autem Typhonii ad Arum facillime revocandum.

Fasciculus LXXXIII. editus initio Aprilis 1876.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXIV.

Menispermeæ.

Leichhardtia.

Sepala sex, membranea, æquilonga, obovata, omnia libera et æstivatione imbricata. *Petala tria, carnulenta,* renato-obcordata, calyce aliquoties breviora, sepalis exterioribus opposita. *Stamina tria, in columnam perbrevem omnino connata. Antheræ capitato-confertæ, longitudinaliter dehiscentes,* petalis oppositæ. Flores feminini adhuc ita ut fructus incogniti.

Frutex Australiæ orientalis calidissimæ circumvolvens, glaberrimus, sempervirens et forsan semperflorens, foliis chartaceis ovato-lanceolatis penninerviis ab ipsa basi brevissime petiolatis, paniculis axillaribus et terminalibus racemoso-ramiferis. Genus ob flores femineos fructusque absentes nondum rite locandum, quod autem a Sarcopetalo jam divelles habitu, numero sepalorum petalorumque, minutie horum, antheris in columna haud lobata erectis ; ab Anamirta removebis præsentia petalorum, paucitate antherarum ; ab Aspidocarya separabis reducto sepalorum petalorumque numero sicut columna antherifera haud peltata ; a Parabæna distingues petalis paucioribus alius formæ et consistentiæ, antheris tantum tribus ; a Clambo amolieris petalis tantum tribus ; a Stephania præter alios characteres jam sejunges uti a generibus quatuor præcedentibus situ antherarum longitudinali non transversali.

Postquam Leichhardtiæ genus a Roberto Brown creatum diu ad Marsdeniam reducebam, novum nunc sacravi illi geographo et naturæ scrutatori infelicissimo, qui primus amplissimos tractus Australiæ orientali-septemtrionalis perlustravit atque colonisationi extensæ nunc jam florenti aperuit.

Leichhardtia clamboides.

In silvis primævis secus flumen Daintree's River ; E. Fitzalan. Folia utplurimum inter 3 et 7″ longa, supra saturatius virentia et intensius nitentia, apice breviter acuminata, petioli articulatione basali cito decidua ; venæ prominulæ in rete confluentes. Paniculæ pauci- vel pluripollicares. Pedicelli capillares, $1\frac{1}{2}$–3‴ longi, sparsi vel sæpius fasciculati. Bracteæ minutissimæ. Sepala circiter lineam longa. Columnæ pars libera antheris fere æquilonga.

Portulaceæ.

Calandrinia pumila.

Claytonia pumila, F. M. coll. Calandrinia calyptrata, var. pumila, F. M. in Benth. Flor. Austr. i. 175.

Minutula, glabra, *foliis omnibus radicalibus oblongis ovatis rhombeisve longiuscule tenuiterque petiolatis*, pedunculis capillaribus 1–4-floris, bracteis perbrevibus nisi ima foliacea, *pedicellis nunquam valde divergentibus* flore bis aliquotiesve longioribus, sepalis persistentibus ovato- vel cordato-orbiculatis, petalis quinque calycem parum superantibus ovatis tenerrimis, *staminibus perpaucis, capsula fere globosa* calycem parum excedente membranea trivalvi polysperma, *seminibus minutissimis lævissimis fere ovatis* splendentibus brunneis.

Prope montes Macdonnell's Range, Christoph. Giles ; ad flumen Balonne-River, E. Bowman ; inter locos Nangawera et Yellowinchi tractum Barrier-Range versus, H. Beckler.

Plantula forsan perennans. A Calandrinia calyptrata divelles radice crassiore, caulibus semper perbrevibus, foliis caulinis vix ullis, directione pedicellorum, brevitate bractearum sepalorum et capsularum, seminibus minus dilatatis.

Calandrinia calyptrata prope Champion-Bay (Walcott), Grampians (Sullivan), Stirling's Range (F. M.) et Swanport (Story) nascitur. Semina cordato-lenticularia, reticulationibus vix visibilibus notata.

Calandrinia volubilis (Benth. Fl. Austr. i. 174 ; C. pusilla, Lindl. in Mitch. Trop. Austr. 360, anno 1848, non Barneoud in Cl. Gay's Historia Fisica y Politica de Chili, tom. ii. p. 485, anno 1846) crescit ad montes Stirlingi et lacum Alexandrinæ (F. M.), Barrier-Range (Beckler), Lachlan's River (Burkitt), Bogan (Morton), Castlereagh's River et Mudgee (Woolls), Nova Anglia (C. St.), Ballandool-River (Looker). Plantam passim vidi icosandram. Semina semper minora, quam ea præcedentis, insigniter seriato-foveolata, turgidiora, potius renata. Nomen specificum a Benthamio adoptavi, quamquam tantummodo partiarie respondet. Species forsan ad C. polypetalam revocanda.

Calandrinia corrigioloides occurrit circum montes Stirlingi in collibus basalticis (F. M.) nec non prope montes Russelli (Mx.). Caules ad pedem usque longi. Pedicelli sub calyce sæpe admodum incrassati. Semina usque quatuor.

Calandrinia composita ad bases montium Stirlingi me reperta. Drumm. 112 et 214. Capsula sursum in cylindrum sæpe protracta, tunc apice truncato aperta, omnino evalvis, fere semper polysperma. Semina perminuta, renato-ovata, fusco-nigra, nitentia, subtilissime punctulato-reticulata.

Calandrinia Pickeringi (A. Gray, Botany of Wilkes's Expedition, 144) nunc cognita a Woolongong (Pickering), Port Jackson et Parramatta (Woolls), Hawkesbury's River (Moore), New England (C. St.). Radix crassiuscula vel in tuber tenue ampliata. Caules debiles, succulenti, ad spithamam longi. Folia ad sesquipollicem longa et $\frac{1}{3}''$ lata. Pedicelli rarius ad semiunciam usque elongati. Petala observante Woollsio quatuor. Sepala acutiuscula. Semina fusco-atra, nitidula, ovato-rotunda, modice compressa, subtiliter reticulata, vix $\frac{1}{4}'''$ metientia. Hanc speciem a C. spergularina separo caulibus crassioribus magis procumbentibus, foliis latioribus, staminibus petalisque paucioribus et seminibus majoribus. Petala stamina et stigmata utriusque, quod structuram attinet, in statu vivo comparabis.

Calandrinia brevipedata.

Annua, glabra, *caulibus foliatis* prostratis, foliis oblongo- vel tereti-linearibus, *pedicellis flore brevioribus* vel ei vix æquilongis nunquam refractis, *bracteis foliaceis*, sepalis fructiferis prolongatis, corolla parva pentapetala, *staminibus perpaucis*, capsula calycem breviter superante vel æquante oligosperma, *seminibus majusculis lenticularibus lucidis fere lævissimis.*

Ad oras oceani arenosas circum King George's Sound et secus St. Vincent's Gulf (F. M.), secundum Fowler's Bay (Richards).

Planta aboriginibus pabulum gratum offert. Uti C. Pickeringi ad C. volubilem, ita hæc stat ad C. calyptratam.

Calandrinia pogonophora.

Perennis, humilis, *foliis in parte caulis inferiore confertis lanceolato- vel rhombeo-ovatis sessilibus, axillis barbatis,* racemis paucifloris, bracteis minutis scariosis, pedicellis plerisque calyce duplo triplove longioribus, sepalis acutis deciduis, corollis breviusculis, capsula profunde trivalvi calycem æquante polysperma, exocarpio tenui-cartilagineo, *endocarpio membraneo secedente nervis rigidis partim dehiscentibus percurso, seminibus pallide rubellis opacis pyramidato-trigonis* subtilissime reticulatis vel papillulosis in rostellulum acuminatis.

Ad flumen Ballandool, Looker; prope urbem Rockhampton, Bowman.

Planta vix digitum alta. Radix ignota. Folia $\frac{1}{4}$–$\frac{1}{2}''$ longa, cum inflorescentia glabra. Barba axium longiuscula, ita ut plurium Portulacarum. Sepala 2–3''' longa. Petala et stamina statu bene evoluto non nunc observabilia. Capsula fere ovata; valvarum stratum exterius dehiscens, interius diu persistens. Semina oblique conico-pyriformia, fere $\frac{1}{4}'''$ longa.

Calandrinia ptychosperma.

Humilis, glabra, *foliis radicalibus lineari-filiformibus* confertis acutis, caulinis brevioribus, racemis paucifloris, bracteis acutis scariosis, pedicellis calyce ter aliquotiesve rarius vix longioribus ætate erectiusculis, sepalis persistentibus rotundo-ovatis acutatis, stylo nullo, capsula calycem breviter superante vel æquante apice quadrivalvi cylindrico-conica, *seminibus nitentibus fusco-atris simpliciter longitudinali-sulcatis* fere reniformibus.

Ad flumen Capei, E. Bowman; inter lacum Eyrei et flumen Finkei, Giles; in plaga Bowen's Downs, Birch.

Exemplaria, quæ vidi, circa tripollicaria. Radix tenuis, forsan annua. Folia ima 1–1$\frac{1}{2}''$ longa, vix lineam crassa. Bracteæ 1–1$\frac{1}{2}'''$ longæ. Sepala saltem 2''' longa. Calyptra e petalis paucis emarcidis conica, 2''' longa, tenerrima. Stamina haud numerosa. Capsula vix 3''' longa, polysperma, basi secedens sed non rite circumscissa, apice obtusiuscula, undique parum rigidula. Semina circiter $\frac{1}{5}'''$ metientia, nec asperata, neque reticulata, costis autem longitudinalibus prominentibus striata.

Plantula transitum ad Portulacas facit; a C. spergularina jam seminibus valde insignibus diversa.

Calandrinia pleiopetala.

Perennis, glabra, *foliis radicalibus latiuscule linearibus* confertis, caulinis abbreviatis vel sæpissime absentibus, racemis pauci- vel plurifloris, bracteis perbrevibus scariosis acuminulatis, pedicellis calyce bis aliquotiesve longioribus ætate patentissimis vel refractis, sepalis persistentibus ovato- vel orbiculato-cordatis, *petalis octo usque novem* calycem duplo triplove superantibus cuneato-oblongis, *staminibus numerosis*, antheris ovato-rotundis, stylo vix ullo, stigmatibus quatuor plumoso-pubescentibus, *capsula calycem semi-superante cylindrico-oblonga polysperma obtusata quadrivalvi, seminibus perminutis fuscis* renato-ovatis nitidis lævibus.

Prope Bowen's Downs et Mueller's Range; Birch.

Species ad C. polyandram et C. quadrivalvem accedens; ab illa propter antherarum formam atque semina minora potius ovata quam renata jam divellens; a C. quadrivalvi ob foliorum figuram,

bracteas minus acutas magis scariosas, semina fere ovata non distincte reticulata recedens ; ab ambabus præterea ob numerum petalorum et formam capsularum discernibilis.

Simillimam speciem nisi varietatem vidi a locis inter Youldeh et Charlotte's Water jacentibus (E. Giles) et e vicinia amnis Wills's Creek (Howitt). Hæ plantæ autem pentapetalæ.

Calandrinia spergularina ad flumen Cape's River ab Ed. Bowman lecta fuit. Semina perminuta, hinc fere lævissima.

Calandrinia liniflora calycem demum ad longitudinem 4‴ extendit. Petala sæpe breviter biloba. Semina fere C. calyptratæ. Drumm. 693.

Calandrinia polyandra similitudinem ad C. volubilem exhibet ; omnes autem partes majores, stamina copiosa, semina simillima. Hanc nunc habemus a Darling's River (Beckler), Victoria-Spring et Ularing (Young), Champion-Bay (Guerin). Drummond 113. Exemplaria minutula jam altitudine bipollicari vidi florentia.

Calandrinia Balonnensis jam allata a Finke's River (J. M. Stuart), Dogwood-Creek (Leichhardt et Bunce), Paroo (Malpas), Barcoo (Birch). Pedunculi fructiferi horizontales vel refracti. Petala haud biloba. Capsula 3–4-valvis. Semina majuscula, atra, fere renata, nitida, subtiliter reticulata. Celeber Stuart nomen "Periculia" apud nativos notabat. Aborigines igitur fortasse seminibus ad panem utuntur, in modum seminum Portulacæ oleraceæ.

Calandrinia Lehmanni ad fluvios Murchison-River et Salt-River extendit, quantum hodie scimus. Drumm. 166 et 242. Semina majuscula, opaco-fusca, ruguloso-striata, angulosa, valde incurvata.

Calandrinia pygmæa ad lacum Muirii (Muir), lacum Corong, montes Stirlingi (F. M.) et sinum Lady-Bay (Hannaford) reperiebatur. Drumm. 602 et 691. Sepala decidua.

Calandrinia uniflora inter flumina Gilberti et Normani a Th. Gulliver inveniebatur.

Claytonia Australasica a fluminibus Murrumbidgee (F. M.) et Gordon's River (Oldfield) nunc cognita. Folia latitudinem semiunciæ attinent. Distinctiones veras inter genera Calandriniam, Claytoniam et Talinam agnoscere nequeo, nec has a Portulaca tute separo nisi e capsula aut valvate aut transverse dehiscente ; solutio quoque fructus in quibusdam Calandriniis circum basim occurrit, atque iterum valvæ in aliis speciebus permanenter cohærunt et fere in unam confluunt.

Portulaca oleracea (L. Sp. Pl. 445, anno 1753 ; P. domestica, Lobel. Plantarum seu Stirpium Icones 388, anno 1581) per totam Australiam tropicam ample extendit, ubi magnitudine foliorum et præcipue florum admodum variat. Progressus austrum versus præsertim secus fluvios et vias continuat. Exemplaria jam habeo a fluminibus Darling's et Murray's River, sinu Nichol-Bay, archipelago Dampieri ; circum portum Phillipi nunc sat communis.

P. retusa (Engelmann in A. Gray Gen. Plant. Amer. Bor. i. 227) ultra comparanda sicut P. lutea (Soland. in G. Forst. Plant. Escul. 72). De restitutione nominum veterum hujus et aliarum stirpium vide notam in F. M. Descriptive Notes of Papuan Plants.

Portulaca napiformis, observante O'Shanesio, ad Rockhampton usque extendit.

Portulaca australis, si veram recognoso, quoque ad Rockhampton occurrit, ubi stamina circiter 20 et stigmata 4–5.

Portulaca filifolia interdum radicem crassiusculam sed forsan nunquam tuberosam producit. Loci novi hujus speciei sunt: Flinders-River, Bowman; Gilbert-River, Armit; Mueller's Range et Bowen's Downs, Birch; Bockhara-Creek, Leichhardt; Peak-Downs, Slatter; Herbert's Creek, Bowman; Barcoo, Howitt; Alice's Spring et Lady Charlotte's Waters, Chr. Giles; Darling's River, Neilson; Dawson's River, F. M.

Portulaca oligosperma ad flumen Cape's River a Bowman inventa.

Portulaca bicolor non stricte annua est, ut optime observavit O'Shanesy, sed ad caulium nodos tubera napiformia solitaria gemina vel ternata circiter semipollicem longa interdum nisi sæpe gignit. Planta afferebatur a Sturt's Creek, F. M.; Port Darwin, Schultz; Cape's River, Bowman; Rockingham's Bay, Dallachy; Cleveland-Bay, Gulliver; Port Denison, Fitzalan; Tambo, Wuth; Gracemere, O'Shanesy. Dr. Leichhardt ad Bockhara-Creek plantam persimilem operculo umbonato legit, quæ si nova infelici itineratori dicanda; hanc quoque habeo a Bowmanio ad Rockhampton collectam.

FICOIDEÆ.

Trianthema humillima.

Pumila, glabra, *foliis minutissimis imbricatis* ovatis vel spatulatis sæpe acuminatis, floribus in caule brevissimo 1–3, *calycis segmentis tenerrime membraneis hyalino pellucentibus setulaceo-acuminatis*, capsula minuta globosa polysperma uniloculata membranea, operculo patellari, seminibus minutissimis.

Inter fluvios Lachlan's et Darling's River; Burkitt.

Tota plantula tantum $1\frac{1}{2}$–3‴ alta, massulas depressissimas in humo formans. Folia perminuta, sensim in bracteas transientia. Bracteæ sepalis fere conformes, sed minores. Sepala $1-1\frac{1}{2}$‴ longa, pallida, fructum conspicue superantia. Genitalia ignota. Capsula vix lineam metiens. Semina renato-globosa, nigro-fusca.

Plantula inter Australianas dicotyledoneas quam maxime exigua, locum inter Trianthemas certum nondum tenens, melius forsan in genus proprium (Pomatotheca) post staminum stylorumque repertionem futuram et propter sepala perfecte soluta est demovenda.

Malvaceæ.

Sida cleisocalyx.

Velutino-tomentosa, *foliis oblongis* serrulato-crenatis obtusis, stipulis capillari-setaceis, pedunculis axillaribus uni- vel pauci-floris perbrevibus, *calycibus inflatis depresso-globosis permanenter clausis* haud costatis, corolla minuta profunde inclusa, staminibus paucis, *carpidiis parvis* 12 *vel paucioribus* rostrato-acuminatis dorso velutinellis utroque latere reticulari-rugatis.

In montibus Mackinlay's Range et locis vicinis, ubi etiam S. inclusa nascitur ; J. Sutherland.

Tomentum in ramulis et calycibus flavescens, in foliis tenuius et canescens. Petioli $\frac{1}{2}$–1″ longi. Folia utplurimum $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$″ longa, $\frac{1}{2}$–$\frac{3}{4}$″ lata. Calyces diametro semipollicari nisi paulo latiores, corollam et carpidia laxe involventes, vertice quidem valvati, sed inaperti, igitur clandestiniflori. Petala 2–3‴ longa, supra junctionem ciliata. Stamina glabra, in columnam brevissimam connata. Styli capillares, glabri. Carpidia valde compressa, vix sesquilineam excedentia, dorso brevissime tuberculata. Semina glabra.

Species a S. physocalyce foliis angustioribus, pedunculis brevioribus, calycibus nec expandentibus nec scariosis sed minoribus, corolla adhuc breviore, carpidiis paucioribus non glabris jam ample diversa ; cum S. platycalyce propter foliorum formam, pedunculorum brevitatem, calycum inapertionem et absentem striationem denique carpidiorum numerum haud facile confundenda. Cavendum autem, ne corollam clandestinam semper normalem credas ; respiciatur ad Pavoniam hastatam, cujus corolla dimorphismo subjecta nunc magna evadit et ample ultra calycem expandit, nunc sæpiusque diminuta et calyce inexpanso occultata manet.

Verbenaceæ.

Chloanthes Bonneyana.

Hemistemon Bonneyi, F. M. coll.

Spinescens, velutinello-puberula, *foliis parvis lineari-oblongis fere canaliculatis* omnibus oppositis, pedunculis cymoso- vel conferto-paucifloris, *calycis minuti quinqueparti laciniis fere æqualibus oblongo-lanceolatis, corollæ parvæ tubo lobiis duplo breviore,* labio supero brevissime bidentato, labii inferi lobo medio ovali, lobis lateralibus oblongis, *staminibus duobus,* antherarum loculo altero paulo altius inserto vix appendiculato, altero breviter calcarato, germine cum styli parte infera puberulo.

Trans flumen Darlingi ; Fred. Bonney.

Folia fragmentorum suppetentium 2–4‴ longa. Pedunculi ætate elongati et pedicellis ramose spinescentes. Calyces minute brac-

teolati, circiter sesquilineam longi. Corolla forsan albida, extus parce sericea ; labii inferi lobi æquilongi, supra glabri ; labium superum fere semiovatum, antice leniter protractum et emarginatum, intus inferne bicostatum ; tubus lineam paulo excedens. Stamina tantum duo, quæ labio corollæ supero apposita, idque vix æquantia. Antherarum loculi discreti, ovati, paulo puberuli. Stamina sterilia nulla. Stylus circiter 2‴ longus, indivisus. Stigma brevissime obtuseque bilobum. Germen ovatum, sensim in stylum transiens. Fructus ignotus.

Planta facile sui generis, fructu quærendo firmius locanda, aliquotenus Chloantho halganiaceo approximanda.

Ebenaceæ.

Maba buxifolia.

Pers. Synops. Plantar. ii. 606 ; Wight Icon. Plant. Ind. Or. t. 763 ; M. litorea, R. Br. Prodr. 527 ; sec. Hiern in the Transact. of the Cambridge Phil. Soc. xii. Part i. 116, cum ampla synonymia.

Arborescens, *foliis parvis obovatis* brevissime petiolatis glabris, floribus fere sessilibus, masculis 1–3, femineis solitariis, calyce corollaque trilobis, staminibus circiter sex glabris, *antheris muticis*, *stylo brevi*, *fructibus parvis* ovato-globosis.

In Australia boreali, R. Brown ; fide observationis Hiernii.

Descriptio et icon de Ferreola buxifolia (Roxb. Plants of the Coast of Coromandel, i. 35, t. 45) autoritatem hujus speciei dant impugnandam. Positio autem Mabæ Neilgherrensis (Wight Icon. Plant. Ind. Or. num. 1228–1229 ; M. Ebenus, Wight l. c. tab. 1228–1229) quam præcl. Hiern. ad M. buxifoliam reducebat, firmius stabilienda ; hanc ab illa distinguunt præter foliorum formam et magnitudinem fortasse variabilem fide dilineationis t. 1228 jam antheræ longe rostratæ. M. litorea de novo comparanda. Claras quoque distinctionis notas, quibus M. humilis semper separabilis, adhuc exponere restat.

M. humilis ad Australiam occidentalem tropicam vergit, fide collectionis All. Hughanii.

M. fasciculosa ad flumen Tweed extendit, quod collectio Caronis demonstrat. Cl. Hiern, l. c. p. 135 Mabam laxifloram huc duxit. Calyx passim quadrilobus.

M. rufa (Labill. Sert. Austr. Caled. 33, t. 36) observante Hiern. M. sericocarpam includit. Arctam utriusque affinitatem ipse indicabam.

Diospyros Cargillia (F. M. Intercolonial Exhibition Essays, 1866, p. 35 ; Hiern, l. c. 246) in Novam Angliam progreditur. Cl. Hiern synonymis addidit : Anonam microcarpam (N. J. Jacquin Fragm. 40, t. 44, f. 7) et Monodoram microcarpam (Dunal Monograph. Anonac. p. 80) auctoritate Rob. Brownii in Tuckey's Congo, 475.

Diospyros pentamera (Woolls et Muell. l. c. p. 35 ; Hiern l. c. 239) ad Rockingham's Bay occurrit.

Diospyros mabacea (F. M. l. c. 35 ; Hiern l. c. 239) ab illustri monographo inter veras Diospyri species agnoscitur.

Diospyros maritima (Bl. Bijdr. Fl. Ned. Ind. 669 ; Hiern l. c. 225) includit observante Hiernio D. tetrandram (Spanoghe in Schlechtendal's Linnæa xv. 336).

GRAMINEÆ.

Anthistiria flosculosa.

Altior, foliis cum petiolis pubescentibus, *bracteis pluribus involucrantibus duriusculis, flosculis cingentibus sessilibus* 6–8 *esexualibus* cum involucro glabris, bracteis florum sterilium interioribus binis, flore fertili pilosulo ad basim sericeo-barbato, *arista prælonga* præter apicem sericeo-pubescente et valde torta.

In vicinia portus Curtisii ; C. Moore.

Radicem non vidi. Folia ad pedem usque longa. Inflorescentiam in exemplaribus mancis notavi ex unico tantum fasciculo constantem. Bracteæ generales cartilagineo-chartaceæ, $1–1\frac{1}{2}'''$ latæ. Bracteæ florum sterilium tam exteriores quam interiores scarioso-membraneæ, circiter $\frac{2}{3}''$ longæ ; interiores angustiores, apicem versus ciliatæ. Arista saltem biuncialis.

Species habitu aliena. A. basiserica crescit pone sinum Shark-Bay et in Australia centrali montes Musgrave's Ranges versus.

Andropogon erianthoides.

Erectus, foliis elongatis glaucescentibus caulibusque glabris, ligulis in cilia solutis, *spicis digitatis longe pallideque sericeo-villosis,* bracteis exterioribus apicem versus nudis muticis, *bractearum intimarum altera in aristam breviusculam tenerrimam haud tortam producta.*

In tractibus Maneroo, Dr. Woolls ; Darling's Downs, Dr. Leichhardt ; Springsure, Dr. Wuth.

Caules satis validi, cubitales usque brachiales. Folia ad $3'''$ usque lata. Spicæ 3–5, longitudinem digiti attinentes, passim paulo fulvescentes. Raches articulati, cum pedicellis plumoso-villosi. Spiculæ fertiles præter aristam $2–3'''$ longæ. Arista setaceo-capillaris, circiter semipollicaris, glabra. Antheræ lineam circiter longæ, utrinque breviter lobatæ. Flos sterilis adstans angustus, vix sesquilinearis, pedicello suo brevior.

Gramen speciosum, ab A. argenteo jam dispositione spicarum diversum, neque Eriantho contorto dissimile, ab E. villoso præter generis characterem indumenti longitudine sicut aristarum rectitudine facillime separandum.

Andropogon pertusus prope Benallam crescit (Nixon).

Andropogon echinatus ad Towombam crescit, reperiente Baileyo.

Andropogon montanus me ad flumen Humei repertus, cum A. refracto.

Erianthus articulatus prope Rockhampton viget.

Cynodon convergens varietatem inferne villosam atque distachyam in vicinia aquarum Lady Charlotte's Waters producit, ubi a Christ. Giles lectus.

Centotheca lappacea ad flumen Johnson's River occurrit, demonstrante collectione Hillii.

Danthonia pectinata ad lacum Eyrei a cl. Lewis recenter inveniebatur.

Danthonia lappacea (Lindley in Mitch. Three Exped. i. 309) forma distachya est D. triticoidis ; quare nomen vetustius pro tota specie adhibeatur. Hæc et præcedens in genus novum, scil. Astreblam, separabiles.

Panicum uncinulatum ad flumen Brisbanei usque extendit.

Eriachne stipacea ad flumen Gilberti fide collectionis Armitii varietatem pedunculis abbreviatis et spiculis minoribus hordeaceam vocandam nisi specifice separandam producit.

Sporobolus elongatus ad Mitta-Mitta flumen extendit.

Panicum reversum ad fluvium Murchisoni altitudinem trium pedum attinet.

Panicum divaricatissimum nunc habeo a Darling's Downs (Lau), Warwick (Beckler), Neercool-Creek (Bowman).

Panicum incomptum (Trin. Icon. t. 232) legit Dallachy ad Rockingham's Bay.

Filices.

Acrostichum pteroides.

R. Br. Prodr. 145.

Humile, caulibus gracilibus superne nudis, *frondibus bipinnatis, segmentis fertilibus sterilibusque brevibus linearibus* margine angusto membraneo recurvis rachibusque glabris.

Ad flumen Gilberti ; Armit.

Filix habitu fere Cheilanthis tenuifoliæ. Exemplar unicum me visum circiter spithamam altum. Divisiones frondium ultimæ unciales vel breviores, $\frac{1}{2}$–1‴ latæ. Species, ut nomen specificum indicat, transitum ad Pteridis genus mediat.

Fascicul. LXXXIV. editus initio Julii 1876.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXV.

Nymphæaceæ.

Cabomba peltata.

F. M. Victorian School-flora, 23 ; Brasenia peltata, Pursch Flor. Bor. Amer. ii. 389 ; F. M. Plants Indig. to Vict. i. 12, c. synonym.

Major, *foliis omnibus ovalibus* vel ellipticis indivisis peltatis, petalis haud auriculatis, staminibus 12–36, antheris oblongo-linearibus, *stigmatibus elongatis, carpidiis* 4–18, seminibus lævibus.

In fluviis Murray's River, Campaspe's River, Mitta-Mitta, Hume's, Brisbane's, Dawson's et Burnett's River sicut in lacunis vicinis ; F. M. ; Hawkesbury's River, Woolls.

Nomen specificum Hydropeltis jam a Muehlenberg secundum Bigelow adoptatum e jure prioritatis fortasse preferendum. Gmelin plantam dixit Braseniam Schreberi. Bene monentibus Jussieu, Batsch et Gardner (Hook. Icon. DCXLI.) genus ad Ranunculaceas facillime transferendum. Albumen autem amylaceum. Brasenia stigmatum elongatione ad Cabombam se tenet ut Tasmania ad Drimydem, foliorum autem ratione fere ut Ranunculus hederaceus ad Batrachium.

Nelumbo nucifera (Gærtn. de Fructib. i. 73) ad flumen Herbert's River (Bowman) et prope montem Elliotti (Fitzalan) viget. Ad flumen Mackenzie's River occurrunt varietates albiflora et pleniflora fide collectionis cl. Hartmann. Genus jam Tournefortio anno 1700 (Institutiones rei herbariæ, p. 261) bene stabilitum.

Nymphæa cœrulea (Savigny Decad. Ægypt. iii. 74, anno 1798 ; Annal. du Mus. 1802, i. 366, t. 25 ; N. stellata, Willd. Spec. Plant. ii. 1153, anno 1799 ; Caspary in Annal. Mus. Bot. Lugd. Batav. ii. 243) apud nos frequenter occurrit et a N. gigantea certissime separabilis, ut secus stirpes vivas per duos annos in regionibus Australiæ intratropicis observavi et diagnosibus dudum exposui.

Nymphæa gigantea (Hook. Bot. Mag. 4647) inter synonyma tenet docente Casparyo : Castaliam stellarem, Salisb. Paradis. Lond. 1806, i. 1 in nota ad tab. 14 ; N. violaceam, Lehm. in Otto's Hamburg. Garten- und Blumenzeitung 1853, p. 208.

Cruciferæ.

Erysimum Blennodia.

Blennodia canescens, R. Br. in App. to Sturt's Central Australia, 4.

Annuum, canescens, foliis lanceolato- vel oblongo-linearibus, imis horum pinnatifidis, ceteris dentatis vel integerrimis ; floribus magnis, *petalis albidis vel roseis* calyce duplo longioribus, stigmate magno, *siliquis longis lineari-cylindricis* breviter pedicellatis paulo pubescentibus, *seminibus in loculo numerosis lævibus humectatione valde mucilaginosis.*

In eremis Australiæ fere centralis. De aliis speciebus e sectione Blennodiæ vide F. M. Victorian School-flora, pp. 41–43.

Notam de muco seminum humectatorum pro generibus distinguendis fallacem in Lepidiorum investigatione dudum demonstravi ; nunc quoque reperio mucum in seminibus Sisymbrii canescentis satis copiosum. Semina Erysimi odorati mucilaginem parcam quidem sed bene adspectabilem exsudant ; parciorem mucum e seminibus Sisymbrii Irionis obtinemus.

Semina perplurium Erysimi specierum talem diversitatem exhibent, ut e forma æque ac magnitudine atque immo ex indumento characteres pro diagnosi saltem secundarios derivare queas.

Malvaceæ.

Urena Armitiana.

Pavonia Armitiana, F. M. coll. (Sect. Lebretonia.)

Frutescens, foliis cordato-ovatis denticulatis parum angulatis, floribus racemosis vel paniculatis, pedicellis brevibus plerisque confertis, *involucri fere basi tenus divisi segmentis calycem conspicue superantibus lineari-lanceolatis,* calyce in segmenta anguste lanceolata uninervia profunde secto, petalis roseis, *antheris circiter decem fere sessilibus omnibus prope apicem tubi staminei confertis,* stylorum parte libera perbrevi glabra, *carpidiis ad angulos laterales acutos et parce ad dorsum denticulatis nullibi glochidiato-setosis.*

Ad amnem Yeldham's Creek, qui flumini Etheridge's River tributarius ; Armit.

Frutex erectus. Ramuli cum foliis et inflorescentia breviter denseque stellari-pilosi. Folia, quorum superiora me tantum visa, 1–1½″ longa et breviter petiolata ; infima fortasse majora et longe petiolata, floralia lapsu inflorescentiam denudantia ; pagina inferior omnium pallidior, ad basim nervi medii glandulam depressam

longitudinaliter apertam gerens. Pedicelli 1–3‴ longi. Involucri tubus 1–2‴ longus ; segmenta $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longa. Calyx fere membraneus ; segmenta ad marginem puberula. Petala circiter $\frac{2}{3}$″ longa. Tubus staminum glaber, haud exsertus. Stigmata terminalia, barbellata. Carpidia $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}$‴ longa, indehiscentia, segmentis calycis alterna, petalis sicut segmentis involucri opposita. Semen prope basim fixum, erectum ; testa fusca, parum rugulosa et puberula.

Species faciliter ad Pavoniam transferenda ; ab U. repanda (Roxb. Fl. Ind. iii. 182) foliis saltem superioribus conspicue brevioribus, involucris profundius sectis, laciniis calycis tubo suo aliquoties longioribus sed involucro brevioribus, antheris haud secus fere totam staminum columnam dispositis atque paucioribus et stylis brevioribus jam longe distat. Ab Urena glabra (R. Br. in Salt's Abyssin. append. 65) nostra nova jam dignoscitur caule non procumbente, foliis non eminenter dentatis, pedunculis plerumque abbreviatis, floribus plerisque non solitariis, segmentis involucri calycisque angustioribus, petalis non luteis, filamentis nec elongatis nec etiam e parte columnæ infera ortis, stylis non pilosulis. Ab U. molli (R. Br. l. c.) propter caulem fruticosum, pedunculos sæpe plurifloros et segmenta involucri angustiora jam removetur. Ab U. Meyeri (Pavonia Meyeri, Masters in Oliv. Fl. of Trop. Afric. i. 191) ob pedunculos non sæpe unifloros, calycis segmenta involucrum nec superantia nec trinervia jam disjungitur.

Generibus Urenæ et Pavoniæ facillime jungendis nomen Urena (Dillen. Hort. Elthamens. 430, fig. 412) præstabit.

Droseraceæ.

Drosera Aldrovanda.

Aldrovanda vesiculosa, L. Sp. Pl. 281.

Natans et submersa, *glabra*, caulibus elongatis ramosis, *foliis verticillatis, petiolis alatis cellulosis apice longe fimbriatis, lamina dimidiato-rotunda complicata vesiculari*, pedunculis axillaribus solitariis folia æquantibus v. breviter superantibus, stylis 5 simplicibus, capsula oligosperma.

In paludibus prope urbem Rockhampton ; P. O'Shanesy.

Plantam mirabilem Droseris conjungere ausus sum. Differt enim magis vegetatione quam organisatione, si genus Droseræ ampliore tensione contemplavimus. Sic etiam Utriculariæ, valde quidem distantes igiturque non iisdem rationibus systematicis tractandæ, ostendunt formas in unius generis vegetatione diversissimas ; idem de Ranunculi speciebus dicendum. D. Aldrovandi, quod foliorum distributionem attinet, non absimilis D. stoloniferæ.

Drosera Indica (L. Sp. Pl. 282) per Australiam centralem dispersa est ; tali modo ad montes Rawlinsoni (Giles) et montes Muelleri (Birch) crescit.

Drosera Adelæ pedunculum gerit interdum racemo tenus spithamæum.

Drosera glanduligera extendit ad flumina Murrumbidgee (F. M.) et Blackwood-River (Hester); nota quoque a King George's Sound.

Drosera pygmæa regiones alpinas adscendit; legi plantulam porro ad Curdie's et Gellibrand's River.

Drosera platystigma ad lacum Muirii crescit (Muir).

Drosera pulchella circum Porongerup (F. M.) occurrit. Petala colore miniata.

Drosera leucoblasta circum montes Stirlingi me reperta. Petala scarlatina.

Drosera Burmanni (Vahl, Symbol. iii. 50) præter alios characteres a specie secuta valvis capsulæ quinis et totidem placentis separatur. Semina numerosissima, perminuta, oblonga, acutata. Novi loci: Gainsford et Cape's River (Bowman), Mueller's Range (Birch), Rockhampton (O'Shanesy), Macdonnell's Range (Giles), New England (C. St.).

Drosera spatulata nunc nota ab Illawarra (Johnson), Clarence-River (Wilcox), Richmond-River (Hodgkinson), Nepean (Woolls), New England (C. St.), Severn (Hartmann), Rockingham's Bay (Armit), Gippsland et Tasmaniæ Arthur's River (F. M.), Southport (C. St.). Flores minores quam ei D. Burmanni.

Drosera scorpioides includit D. dichrosepalam (Turcz. in Bullet. de Moscou, 1854, p. 343).

Drosera binata ad Brisbane's River (W. Hill) et Novam Angliam extendit, in alpibus ad 5000′ usque progreditur.

Drosera rosulata præcocissime in vere florescit; hanc ad Mount Bebb et Irwin's River legit J. Guerin.

Drosera platypoda (Turcz. in Bullet. de Moscou, 1854, p. 343) includit D. flabellatam.

Drosera peltata includit D. sulphuream (Behr in Schlechtendal's Linnæa, 1848, p. 629) ubi Dr. Behr de foliis irritabilibus insecta capientibus egit. Planta occidentem versus sinu Spencer's Gulf tenus frequens, in regiones interiores fluminibus Darling's et Bogan-River tenus extendens. D. lunata (Hook. Comp. to the Bot. Mag. i. 274) huc pertinet.

Drosera lunata (Buchanan in Cand. Prodr. i. 319) ad Rockingham's Bay (Armit), Gainsford et Herbert's Creek (Bowman) nascitur, et fortasse speciem seorsam format, D. auriculatæ calyce convenientem, D. peltatæ seminibus accedentem, ab ambabus foliis radicalibus fugacioribus divergentem.

Drosera auriculata (D. peltata, Lab. Nov. Holl. Plant. Specim. i. 79, t. 106) prata multis locis occupat a sinu Spenceri ad Novam Angliam; adscendit quoque in regiones subalpinas.

Drosera petiolaris ad Norman's et Gilbert's River (Gulliver), sicut ad Russell's River (W. Hill) nascitur. Petala purpurea.

Drosera Dietrichiana a G. Reichenbach in programmate scholæ Hamburgensis descripta forsan non nova.

Drosera Huegelii includit D. filipedem (Turcz. in Bull. Mosc. 1854, 344).

Byblis liniflora ab E. Bowman ad Cape's River et ad Gainsford lecta fuit, ad Rockingham's Bay ab Armit.

VIOLACEÆ.

Hybanthus enneaspermus.

Ionidium enneaspermum, Vent. Jardin de la Malmaison, 27 ; F. M. Plants of Victoria, i. 224 ; I. heterophyllum, Vent. l. c. ; I. suffruticosum, Roem. et Schult. Syst. Veg. v. 394 ; Wight Illustr. t. 19 ; Icon. Pl. Ind. Or. t. 308 ; Benth. Flor. Austr. i. 101 ; Oliv. Fl. of Trop. Africa, i. 105 ; J. Hook. Fl. of Brit. India, i. 185 ; I. leptorrhizum, Cand. Prodr. i. 308 ; I. thesiifolium, Cand. l. c. 309 ; Guill. et Perott. Fl. Senegamb. 35 ; I. erectum, Gingins in Cand. Prodr. i. 311 ; I. frutescens, Ging. l. c. ; Blume Bijdr. 58 ; I. hexaspermum, Dalz. in Hook. Kew. Misc. iv. 342 ; Gibs. et Dalz. Bomb. Fl. 12 ; I. ramosissimum, Thwait. Enum. Pl. Zeil. 21 ; I. hirtum, Klotzsch in Peters's Mossamb. 148 ; Solea enneasperma, Spreng. Syst. Veg. i. 804 ; Viola enneasperma, L. Sp. Pl. 937 ; Willd. Sp. Pl. i. 1171 ; V. suffruticosa, L. Sp. Pl. 937 ; Roth. Nov. Pl. Spec. 165 ; Roxb. Flor. Ind. i. 649 ; V. frutescens, Roth. l. c. 166 ; V. erecta, Roth. l. c. 165 ; V. thesiifolia, Poir. Encycl. Meth. viii. 649 ; V. Guineensis, Schum. Beskrivelse af Guineiske Planter, 133 ; Pigea Banksiana, Cand. Prodr. i. 307.

Suffrutescens, sæpe brevi-pubescens, foliis linearibus v. anguste lanceolatis v. lineari-oblongis omnibus sparsis denticulatis v. fere integerrimis, stipulis lineari-setaceis, pedunculis axillaribus unifloris pedicello longioribus, sepalis lanceolatis acuminatis ; *petalis roseis, lateralibus longius acuminatis* inæquilateris, supremis oblongis trinerviis brevissime acuminigeris, petalo infimo longiuscule unguiculatis orbiculari-ovato v. fere quadrato basi cavo, *filamentis majusculis quorum imis duobus calcaratis*, seminibus striolatis.

In Australia intratropica fere tota aridis desertorum tractibus exceptis, in Australia orientali extratropica saltem ad gradum 32 latitudinis extendens.

Ionidium aurantiacum formam tantum repræsentare videtur, petalis lateritiis insignem ; hæc in Australia magis centrali prævalet.

Hybanthus Vernonii (F. M. l. c.) in provinciæ Gippsland parte orientali occurrit.

Hybanthus filiformis (F. M. Victorian School-flora) ad flumen Humei extendit.

Hybanthus calycinus (Ionidium calycinum, Steud. Nomencl. Bot. i. 813) nunc notus a Hamden (Clarke), Vasse's River (Bussell), Blackwood-River (McHard).

Hybanthus floribundus (F. M. l. c.) sub 663 in collectione Drummondi ponit. Ad hanc speciem reducendum I. brevilabre. Novi loci : Murrumbidgee (F. M.), Gawler's Range (Sullivan),

Victoria-Spring (Young), Murchison's et Harvey's River (Oldfield), Greenough's River (C. Gray), Irwin's River (Sewell), Gordon's River (Knight), Stirling's Range (F. M.), Hay's River (Maria Warburton), Lake Muir (Muir), Mount Marshall (Harper). Varietas *minutifolia*, hirtella, foliis cuneatis retusisque, floribus minoribus et solitariis, crescit a Phillip's River usque Cape Arid (Maxw.).

Viola hederacea ad Kangaroo-Island (Waterhouse), Penolam (Woods), Novam Angliam (C. St.) et Rockingham's Bay (Dallachy) extendit. Huc V. Sieberi (Hook. Compan. to the Bot. Mag. i. 274).

Viola Caleyana me visa ad fluvios Hume's River, Mitta-Mitta, Broadribb's et Livingstone's River. Capsula calyce aliquoties longior ; valvæ circiter quadruplo longiores quam latæ. Semina pyriformi-ovata, vix semilineam excedentia, nigra, lævia, splendentia. Strophiola ovata, albida, semine ter brevior.

Viola betonicifolia pedunculum interdum pedalem producit. Hanc a Nova Anglia, Rockhampton (Thozet) et Rockingham's Bay habemus.

Hymenanthera Banksii includit H. latifoliam (Endl. Prodr. Fl. Norfolk. 71 ; Iconograph. Gen. Pl. 108) ; hanc varietatem legerunt in insula Howei Fullagar et Lind. Formam normalem nuper vidi occidentem versus flumine Curdei tenus. Synonymis adnumeranda: Solenantha spinosa (G. Don. Gen. Syst. Dichl. Pl. ii. 39, fide Benth. et Hook. Gen. i. 120). Cotyledones haud angustæ. Bacca 1–4-sperma.

Sapindaceæ.

Nephelium oleifolium.

F. M. Victorian School-flora ; Heterodendron oleifolium, Desf. in Mém. du Mus. 1818, p. 9, t. 4.

Fruticosum, arborescens, subtilissime pubescens, *foliis simplicibus a forma lineari-lanceolata ad ovalem vergentibus integerrimis, calycis dentibus perminutis v. obliteratis* numero variis, petalis nullis, staminibus 6–15, stylis brevibus connatis, *carpidiis globosis* 2–4 lævibus concretis, seminibus arillo alte amplexis.

Per eremos Australiæ ample extensum.

Nephelium diversifolium.

Heterodendron diversifolium, F. M. Fragm. Phytogr. Austr. i. 46.

Fruticosum, diffusum, subtilissime pubescens vel fere glabrum, *foliis simplicibus obovato- vel oblongo-cuneatis acute dentatis* vel *integerrimis, calycis dentibus perminutis vel obliteratis,* petalis nullis, germine biloculato, *carpidiis duobus compressis* divergentibus ovatis semiconnatis, arillo conspicuo.

In Australia orientali-centrali.

Ficoideæ.

Trianthema turgidifolia.

Suffrutescens, præter axillas *glabra, foliis valde carnosis fere clavatis parum inæqualibus, floribus solitariis* longiuscule pedicellatis, calycis majusculi lobis 5 semilanceolato-deltoideis tubum obconico-turbinatum longitudine æquantibus brevissime apiculatis, *staminibus decem*, stylo unico et terminali, *capsula ovata pleiosperma uniloculari* fere membranea, seminibus rugulosis.

In plagis sinum Nichol's Bay versus; M. Crouch.

Planta habitu Sesuvii. Ramum vide spithamæum, teretem, evidenter lignescentem. Folia per paria satis dissita, $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}''$ longa, 2–3''' crassa, obtusa, turgidissima, glaucescentia, in petiolum basi membraneo-dilatatum sensim angustata. Pedicelli calyci vix æquilongi. Calycis lobi linea paulo longiores, haud cornuti. Stamina æquidistantia. Antheræ dorsifixæ. Stylus setaceus, lineam longus. Stigma minutum. Germen plurigemmulatum. Capsula prope medium circumscissa; operculum sesquilineam altum. Semina pauca (circiter 5) maturantia, nigra, lineam circiter metientia, pyriformi-renata.

A T. monogyna (L. Mantiss. 69) faciliter distinguenda ramis haud angulosis, foliis angustioribus crassissimis vix inæqualibus, floribus pedicellatis, calycis lobis non ex apice obtuso cuspidulatis, capsula haud truncata, seminibus staminibusque paucioribus.

T. pilosa ad Lady Charlotte's Waters Australiæ centralis a clar. Christophoro Giles lecta est.

T. decandra cum T. pentandra et T. polysperma optime iterum referenda in genus proprium, scil. Zaleya (Burm. Fl. Ind. 110, t. 31), cui quoque pertinet Diplochonium; a Zaleya vix diversa Cypselea foliis distinctius stipulatis, quo modo potius subgenus redditur.

T. cypseloides a cl. Th. Gulliver inter fluvios Norman's et Gilbert's River reperta est.

Sesuvium portulacastrum saltem ad portum Jacksoni usque extendit.

Aizoon quadrifidum foliis sesqui-pollicaribus, pedicellis pollicaribus et lobis calycis 9''' longis vidi. Hæc planta inter Lady Charlotte's Waters et Fowler's Bay variis locis occurrit (E. Giles), prope Fraser's Range (Dempster), prope Mount Churchman (Young).

A. zygophylloides inter lacum Eyrei et flumen Finkei crescit, sec. collectionem Ernesti Giles.

Mesembrianthemum australe (Soland. in G. Forst. Florul. Ins. Austr. Prodr. 90) secus totas oras Australiæ extratropicæ maritimas cum M. æquilaterali (Haw. Misc. 77) extendit, regiones interiores salinas saltem usque flumen Darlingi et montes Gawleri attinet. M. crystallinum apud nos tantum inquilinum.

Tetragonia expansa (Murr. in Comment. Gœtting. vi. 13, t. 5) e locis, qui sequuntur, nondum notata : Moreton-Island (F. M.), Ballandool-River (Looker), Darling's et Murray's River (F. M.), Lord Howe's Island (Fullagar). Amplam literaturæ notationem et diagnosim dedi in opere : Vegetation of the Chatham-Islands, p. 12, ubi etiam de specie secuta scripsi.

T. implexicoma fere omnia Australiæ litora marina inhabitat in latitudinibus extratropicis ; vidi plantam ab ora remotam in clivis calcariis inter Mount Gambier et Lake Bonney. Insulam Howei porro incolit, ut Fullagar demonstrabat. T. trigynam (Banks et Solander sec. J. Hook. Handb. of the New Zeal. Flora, 84) a T. implexicoma separare non audeo.

Myrtaceæ.

Eucalyptus Rameliana.

Opaca, ramulis teretiusculis, *foliis fere æquilateris* ovato-lanceolatis oppositis sparsisque longiuscule petiolatis imperforatis concoloribus, venis subtilissimis transversalibus copiosis, longitudinalibus duabus a margine evidenter remotis, *pedunculis teretibus unifloris, pedicello terete sursum valde incrassato, calycis magni haud angulati tubo patellari-hemisphærico, operculo longitudinem tubi excedente semigloboso in rostrum fere conicum acuminato,* staminibus flavis omnibus fertilibus, antheris ovato-cordatis birimosis, stylo longiusculo, stigmate haud dilatato.

Trans montes Alfred-Marie's Ranges ; E. Giles.

Folia exemplarium perpaucorum suppetentium 3–4″ longa, circiter $1\frac{1}{2}$″ lata, pallide virentia, fere glaucescentia, in apicem longe sensimque angustata. Pedunculus circiter semipollicaris, pedicello tenuior. Flos primum nutans. Pedicellus pæne $\frac{3}{4}$″ longus. Calyx pollicem latus. Operculum scilicet addito suo rostro uncia paulo brevius. Staminum plurima ad $\frac{3}{8}$″ longa. Antheræ $\frac{1}{3}$‴ longæ. Stylus stamina æquans. Fructus plane incognitus.

Hanc novam speciem dico Prospero Ramel, Eucalyptorum per Galliam australem et Algeriam præstanti plantatori, harumque arborum me demonstrante et adjuvante laudabili promulgatori primario.

E. pyriformem ab hac nova separo calyce majore anguloso, pedunculis pedicellisque sæpius elongatis, his frequenter ternatis insuper angulatis, calycis tubo sensim in pedicellum angustato. Fructus utriusque comparandi. Species cum E. Youngiana haud facile confundenda, quamquam propinqua.

Halorageæ.

Haloragis trigonocarpa.

Glabra, erecta, foliis planis sparsis lanceolatis remotiuscule serratis, floribus tripetalis hexandris, calycibus conspicue pedicel-

latis, limbo eorumdem trilobo, *fructibus majusculis ambitu ovatis acute trigonis triloculatis foveolas biseriatas amplas extus pellucentes inter angulos gerentibus.*

Inter Yuin et Murchison's River; inter Alfred-Marie's Range et Rawlinson's Range; E. Giles.

Herba pedalis v. humilior, parum ramosa. Folia tenera, concoloria, in petiolum conspicuum decurrentia, 1–1½″ longa, ima passim opposita, floralia magnitudine valde decrescentia. Calycum lobi deltoideo-semiorbiculares. Petala vix lineam longa. Antheræ angustæ. Stigmata barbata. Fructus fere 2‴ longi, pulchre impressi et quasi rugati.

Hæc ad H. hexandram proxime accedit, divergens autem evidentiore foliorum dentatione, ampliore horum mensura, fructibus multo majoribus fere alatis eleganter foveolato-sculptis. Ab H. Gossei separatur jam alis fructuum perangustis, areolis impressionum minoribus et profundioribus venas ad angulorum marginem tantum brevissimas emittentibus.

Rubiaceæ.

Hedyotis Crouchiana.

(Sect. Oldenlandia.)

Herbacea, humilis, scabriuscula, *foliis anguste lanceolatis* planis vel demum margine recurvis apice valde acutis, stipulis lacinuligeris, floribus perbreviter pedicellatis geminis vel ternatis vel passim solitariis vel cymosis, *calycis laciniis semilanceolatis præacutis haud distantibus* tubo fructifero fere triente brevioribus, corollæ lobis tubo duplo longioribus obtusiusculis, fauce barbellata, antheris inclusis, *capsula ex toto infera* truncato-oblongata, seminibus tuberculato-rugulosis.

In vicinia portus Nichol's Bay; Marianna Crouch.

Planta digitalis usque spithamæa, glabra, erecta. Folia bene evoluta ⅔–1½″ longa. Calycis laciniæ 1½–2‴ longæ. Corolla longitudine circiter 3‴ metiens; lobi oblongi. Antheræ ovatæ, infra faucem fere sessiles. Capsula 2½–4‴ longa. Semina nigrescentia, turgida, fere ovata, ⅙–⅛‴ longa. Ab H. spermacocioide (F. M. Fragm. viii. 146) discernitur glabritie, lobis calycis latioribus, fructibus proceris, seminibus minoribus; flores utriusque comparandi.

Compositæ.

Helichrysum Gilesii.

Perenne, parce lanuginosum, foliis lanceolato-linearibus vel superioribus angusto-linearibus sensim valde abbreviatis, *capitulis ramulos pedunculiformes solitarie terminantibus, involucri fere hemisphærici squamis nitentibus flavescentibus diaphanis ciliatis* haud radiantibus, exterioribus sessilibus, interioribus in stipitem

latiusculum contractis, floribus homogamis, *acheniis glanduloso-rugulosis, pappi setis* 10–12 *ciliolato-scabris.*

Inter fluvios Ashburton's et Gascoyne's River; E. Giles.

Herba quantum nota circiter pedalis. Folia pollicaria vel breviora rarius longiora, haud amplexantia. Capitula semipollice vix latiora. Laminæ squamarum involucrantium satis conformes. Corollæ sursum leniter ampliatæ. Achenia circiter $\frac{2}{3}'''$ longa. Pappus albus, pæne $3'''$ longus.

Planta pæne ad Helipterum transiens, Heliptero Kendalli propter squamas involucri pellucentes et ciliatas similis. Revera autem affinitate jungitur Helichryso oligochæto, abs quo discernes indumento lanuginoso haud articulato, ramulis non ad capitula usque foliosis, foliis angustis haud basi ambientibus, involucri squamis omnibus acutis apice tenus ciliatis, acheniis haud sericeis.

Stylideæ.

Stylidium trichopodum.

(Sect. Nitrangium.)

Annuum, fere *glabrum,* perparum glandulosum, foliis secus caulem debilem sparsis et ad apicem caulis ramorumve verticillato-confertis brevibus linearibus teneris, *umbellis terminalibus sessilibus, pedicellis prælongis capillaribus,* calycis lobis quatuor ovatis oblongisve, *corollæ flavæ labio infero profunde quadrilobo,* lobis labii superi perbrevibus apice bilobulatis, corona faucis edentula, labello minutissime appendiculato, capsula filiformi-cylindrica, seminibus perexiguis brunneis splendentibus glabris.

Ad flumen Etheridge's River; Armit.

Herbula spithamæa vel brevior. Radix exilis. Folia 3–$6'''$ longa, pleraque vix semilineam lata. Pedicelli $1\frac{1}{2}$–$3''$ longi, apice bracteolati. Calycis lobi linea paulo breviores, interdum per paria breviter connati. Corolla vix $3'''$ longa; tubus perbrevis; lobi labii inferioris oblongi vel minus frequentius ovati, laterales ceteris breviores; labium superum infero aliquoties brevius. Columna breviuscula et crassiuscula. Capsula semipollicaris vel paulo longior, pertenuis.

A St. fissilobo jam pedicellis capillaceis umbellatis et corollæ colore dignoscendum.

St. elongatum ad montem Churchmanii legit Young; habitus St. crassifolii; semina ellipsoidea, $\frac{1}{2}'''$ longa, puberula.

St. piliferum ad Mount Churchman comes præcedentis.

Goodenoviaceæ.

Dampiera candicans.

(Sect. Linschotenia.)

Ramosa, *foliis ovato- vel rotundo-rhombeis subtus ramulisque albide tomentoso-velutinis* supra glabris, spicis mox dissitifloris

simplicibus vel inferne brevi-ramosis, *calycibus tomento ramosissimo subtus crassiore involutis.*

Inter montes Alfred-Marie's et Rawlinson's Ranges ; E. Giles.

Folia petiolo brevi addito $\frac{1}{2}$–1″ longa, plana, nunquam fasciculata. Pedunculi cano-velutini. Tomentum calycum e pilis fere plumulosis, inferne paulo fulvescens. Corolla statu bene evoluto nondum nota ; lobi atro-violacei. Fructus non allatus. Species hæc nova a D. spicigera differt foliorum forma et dispositione, tomento eorum et ramulorum intensius candicante, indumento calycum magis patente et intricato, corollæ quoque colore.

Cl. Giles ex eodem laco misit Goodeniæ azureæ varietatem angustifoliam.

Myoporinæ.

Eremophila strongylophylla.

Tomento canescente fere *velutina pilisque articulatis conspersa, foliis orbicularibus* herbaceis breviter lateque petiolatis integerrimis sparsis, *floribus fere sessilibus, calycis segmentis lanceolato-linearibus longe acutatis* haud imbricatis, corollæ fere violaceæ extus pubescentis lobis lateralibus sursum ovatis, lobo medio rotundato, lobis superioribus fere deltoideis, fauce lanugineo-barbata, *germine velutino.*

Inter locum Yuin et flumen Murchison's River ; E. Giles.

Folia pleraque inter $\frac{1}{3}$ et $\frac{2}{3}$″ metientia, plana. Calyces 4–6‴ longi, intus apicem versus pubescentes. Corolla circiter $\frac{3}{4}$″ longa ; labia tubo ter breviora. Stamina fortasse inclusa. Stylus glaber. Fructus non notus.

Ab E. Mackinlayi separanda jam pilis simplicibus tomento intermixtis, foliorum contractione in petiolum perfectiore, segmentis calycum angustioribus et acutioribus, corolla minore extus parcius pilosa, stylo non pilosulo ; fructus adhuc comparandi.

Eremophila Turtonii.

Flavido-tomentosa, canescens et glandulari-puberula, *foliis ovatis v. oblongis in basim cuneatis* sparsis integerrimis tarde glabrescentibus, pedicellis calyce bis terve brevioribus, *segmentis calycis lanceolato-oblongis utrinque velutinis haud imbricatis,* corolla calycem semisuperante extus breviter puberula, *corollæ lobis omnibus semilanceolatis,* duobus superioribus minoribus, tubo imberbi, *staminibus longe exsertis,* germine angusto cum stylo glabro, loculis germinis bigemmulatis.

Prope montes Alfred-Marie's Ranges et Rawlinson's Ranges ; E. Giles.

Folia bene evoluta circiter pollicem longa, 2–4‴ lata, plana, marginata. Calyx $\frac{1}{3}$–$\frac{1}{2}$″ longus ; segmenta basim versus sensim

leniter angustata. Corolla circiter $\frac{3}{4}''$ longa, intus parco- et glanduloso-puberula ; lobi æquialti, sed superiores ceteris breviores. Filamenta fere glabra. Stylus pæne pollicaris. Fructus ignotus.

Ab E. Maitlandi jam dignoscenda foliis obtusis haud diu velutinis, floribus minoribus, segmentis calycum intus velutinellis ; ab E. eriocalyce pedicellis calycibusque brevioribus indumento tenuiore vestitis ; ab E. Forresti, quæ prope Ularing lecta, foliis glabrescentibus et sicut ab ambabus notatis exsertione filamentorum.

Speciem pulchram dicavi Guilielmo Turton, qui geodæsiæ munus in provincia Gippsland per plures annos fungebatur, ibidemque vegetationem diu observationibus subjecit.

E regionibus ad flumen Ashburton's River sitis accepi plantam similem, cujus pedicelli autem calycem æquant, segmenta hujus paulo imbricata ; flores fructusque incogniti.

Eremophila exilifolia.

Viscosissima, *foliis brevibus canaliculato-linearibus obtusis* sparsis, pedicellis solitariis pertenuibus calyci fere æquilongis, sepalis lanceolato-ovatis inferne imbricatis, *corolla parva* extus pilosula, lobis lateralibus superisque fere semilanceolatis, *lobo infimo rotundato dense* barbato, staminibus pæne inclusis, *germine glabro oblongo obtuso, gemmulis in utroque loculo tribus.*

Inter montes Alfred-Marie's et Rawlinson's Range ; Giles.

Frutex valde ramosus. Folia conferta, $1\frac{1}{2}$–$3'''$ longa. Pedicelli fere capillares. Sepala 2–$3'''$ longa. Corolla circiter semipollicaris, intus lanuginosa. Stylus glaber. Gemmulæ superpositæ. Fructus ignotus.

Species Eremophilæ Sturtii sane propinqua, divellenda autem foliis pluries brevioribus haud uncinatis distinctius canaliculatis, pedicellis in calycem non sensim ampliatis, sepalis haud mox eminenter nervoso-reticulatis, germine non villoso-tomentoso.

E. Berryi, inter Youldeh et Ouldabinna a cl. Young lecta, corollam gerit cœrulescentem, punctatam, intus lanuginoso-pubescentem.

Scrophularinæ.

Stemodia linophylla.

Erecta, glabra, *foliis minutis lanceolatis sessilibus integerrimis, floribus secus summitates ramorum spicam constituentibus,* calycum segmentis lineari- vel angusto-lanceolatis perparum ciliolatis, corollæ tubo labiis æquilongo, antherarum loculis sessilibus, capsula duriuscula ovata sensim acuminata, *placenta utriusque loculi septo lato disjuncta.*

Inter flumen Ashburton's River et montes Alfred-Marie's Ranges ; E. Giles.

Herba perennis, paulo suffrutescens, contracte ramosa, spithamæa usque pedalis, odore gravi. Folia valde numerosa, caulina pleraque

2–3‴ longa, floralia sensim breviora, omnia opposita. Bracteolæ foliis conformes, calyce fere ter breviores. Calyces 2‴ paulo excedentes. Corolla vix 4‴ longa, labium inferum profunde trilobum, cum fauce hirsutulum ; labium superum sat angustum. Loculi antherarum divaricati, ampli, omnes fertiles. Stylus 1–1½‴ longus, pertenuis, glaber. Capsula calycem paulo superans, leniter compressa, rigidiuscula, in valvas quatuor partibilis sed tarde dehiscens, perfecte biloculata. Semina valde numerosa, ovata, fere lævia, squalide fusco-cana, vix $\frac{1}{6}$‴ longa, nitidula.

Planta ab omnibus speciei secutæ formis videtur divellenda. Cyclus tamen varietatum, quas species finitimæ producunt, nondum exacte trahendus.

Stemodia Morgania (Limnophila Morgania, F. M. Fragm. vi. 104 ; Morgania glabra, R. Br. Pr. 441 ; Benth. Fl. Austr. iv. 488 ; M. pubescens, R. Br. l. c. ; Benth. l. c. ; M. floribunda, Benth. in Mitch. Trop. Austr. 384 ; Fl. Austr. iv. 488) ; folia præsertim superiora passim sparsa gerit. Flores suaveolentes. Corolla cœrulea, saturatius venosa. Filamenta albida. Antheræ primum nigritæ. Inter formas suas forsan includit M. parvifloram (Benth. l. c. 489).

Stemodia gratioloides (Limnophila gratioloides, R. Br. Pr. 442) austrum versus saltem ad portum Wide-Bay usque extendit.

Bartsia latifolia (Sibth. et Smith flora Græca, vi. 69, t. 586) nuper mihi a Julia Wells e regionibus circum urbem York missa.

Oleaceæ.

Mayepea quadristaminea.

Chionanthus quadristamineus, F. M. Fragm. viii. 41.

Arborea, foliis lato- vel obovato-lanceolatis, paniculis pluri- vel multifloris axillaribus et terminalibus passim racemosis, *petalis latiusculo- vel subulato-linearibus liberis paulo dissitis antheras magnas sæpissime quatuor haud excedentibus,* antherarum loculis contiguis, *drupis præmagnis* globoso-ovatis nigro-cœruleis, putamine crasso valide costato.

In insula Howei ; Moore, Fullagar et Lind.

Cl. Bentham (Benth. et Hook. Gen. ii. 678) hanc plantam immerito Notelææ junxit.

Præsentia et defectus albuminis in Oleacearum generibus talis est momenti, ut necesse sit species Chionanthi sive Linocieræ exalbuminas cotyledonibus turgidis præditas ab albuminosis planicotyledoneis separare. Ita oritur genus Mayepea, cui pertinent Freyeria Scop., Ceranthus Schreb., Noronhia, Stadm., Tessarandra Miers, Hænianthus, Griseb. et forsan Bonamica et Minutia Velloz.

Ligustrum solummodo Oleæ, sicut Notelæa tantum Linocieræ sectio.

Proteaceæ.

Hakea rhombales.

Robusta, foliis strictis longe tereti-filiformibus glaucis fere muticis, corymbis umbellisve axillaribus paucifloris tenui-pedunculatis, *calycibus coccineis pedicellisque* glabris, stylo calycem fere duplo superante, stigmate pæne laterali, fructibus ovato-globosis acutiusculis erostribus vel minute rostratis parce aculeolato-verrucosis, *seminum ala oblique rhombea ad utriusque nuclei latus decurrente*, nucleo tuberculoso valde turgente.

Ad originem fluminis Ashburton's River ; E. Giles.

Rami crassi. Ramuli parum cinerascentes. Folia utplurimum 4–6″ longa, vix lineam crassa, haud sulcata. Pedunculus paucilinearis, glaber. Pedicelli rubri, floriferi 2–3‴ longi. Calyces tota longitudine circiter 4‴ metientes, apicem versus valde recurvati. Stylus glaber, saltem semipollicaris. Stigma ovato-rotundum. Germen perbreviter stipitatum. Glandula hypogyna brevissima. Fructus valde turgentes, longitudine pollicem vix excedentes. Ala seminum semunciam paulo superans, nigrescens, ad latus anterius nuclei amplius expansa.

Juxta H. recurvam et H. verrucosam ponenda, ab illa recedens foliis haud valde patentibus pallidioribus conspicue tenuioribus non mucronato-pungentibus, pedunculis glabris, pedicellis glandulaque brevioribus et forsan fructibus ; a H. verucosa foliis longioribus fere muticis, glabritie pedunculorum, paucitate florum, calyce ampliore basi non insigniter truncato, fructibus parum verrucosis, ala utroque latere secus nucleum expandente haud ovato-lanceolata.

Isopogon anemonifolius saltem ad Illawarram extendit fide collectionis cl. Camera.

Agastachys odorata inter Circular Head et Arthur's River rare occurrit. Calyces omnino albi.

Conospermum Toddii affinitate pluria attingit ; proximius autem C. polycephalo quam ulli alii, quod separatur pedunculis conspicius elongatis, spicis fere globosis, bracteis longioribus subito longe acuminatis tubum calycis æquantibus vel superantibus, calycibus cœruleis, quorum tubus laciniis haud longior.

Helicia verticillata ad Brabejum stellatifolium pertinere videtur e Lamarckii icone et Meissneri descriptione.

Darlingia spectatissima in insula Fitzroyi occurrit sec hortulanum Reedy.

Telopea speciosissima a portu Stepheni usque Wollongong dispersa (Fitzgerald), atque ad originem fluminis Shoalhaven-River obvenit. T. oreades in Plants of Victoria, lithogr. lxxiii. orites lancifolia lxxii. Hakea rostrata lxxiv. Banksia marginata lxxv. illustrantur.

SALSOLACEÆ.

Chenolea biflora.

Sclerolæna biflora, R. Br. Pr. 410.

Lanuginoso- v. sericeo-tomentosa, foliis crassiuscule linearibus, floribus in axilla 2–3 rarius pluribus, *calycibus fructiferis connatis* valde induratis a basi cava divergentibus *sursum liberis et gracilibus* dorso spinulas vel tubercula 1–2 minuta nullave gerentibus, semine horizontali depresso.

A flumine Murray's River usque ad oram Great Bight et fere usque in Australiam centralem, orientem versus saltem usque Bowen's Downs.

Chenolea paradoxa.

Sclerolæna paradoxa, R. Br. Pr. 410 ; J. Hook. Icon. Pl. 1076.

Lanuginoso-tomentosa, foliis crasso-linearibus oblongisve, *floribus in axilla pluribus multisve, calycibus fructiferis in massam globosam osseam alte connatis,* calyce quovis spinas 1–2 v. plures dorsales crassas et breves gerentibus, semine fere sphærico.

In eremis Australiæ extratropicæ, occidentem versus saltem usque in viciniam promontorii Point Dover.

Chenolea diacantha.

Anisacantha diacantha, Nees in Lehm. Pl. Preiss. i. 635 ; Sclerolæna diacantha, Benth. Fl. Austr. v. 194.

Sericeo-tomentosa, foliis crassiuscule linearibus, floribus solitariis, *calyce fructifero valde indurato spinas 2 oppositas divergentes gerente*, semine fere sphærico.

A flumine Burdekin's River fere usque ad portum Phillippi et sinum Great Bight.

Chenolea quinquecuspis.

Anisacantha quinquecuspis, F. M. Transact. Vict. Inst. i. 134 ; A. muricata, Moq. Chenop. Enum. 84 ; Benth. Fl. Austr. v. 199.

Glabra v. paulo puberula rarius dense pubescens, *foliis lato- vel lanceolato-linearibus* acutis fere planis, floribus solitariis, *calyce fructifero indurato spinas* 4–5 *dorsales valde inæquales aciculares gerente,* semine verticali.

A flumine Murray's River usque in Australiam orientalem subtropicam interiorem.

Nomen specificum Moquinii inaptum.

Chenolea tricuspis.

Anisacantha tricuspis, F. M. in Transact. Vict. Inst. i. 133 ; A. divaricata, R. Br. Pr. 410 ; Benth. Fl. Austr. v. 200 ; A. erinacea, Moq. in Cand. Prodr. xiii. ii. 122.

Glabra v. parum puberula, *foliis lineari-semicylindricis* acutis, floribus solitariis, *calyce fructifero indurato spinas* 3–4 *dorsales aciculares valde inæquales gerente*, semine verticali.

A flumine Murray's River usque ad fluvium Burdekin's River et locum Youldeh.

Chenolea echinopsila.

Anisacantha echinopsila, F. M. Fragm. Phytogr. Austr. vii. 14.

Glabra vel pilosula, foliis lineari-cylindricis, floribus solitariis, *calyce fructifero indurato parvo spinulas* 5 *dorsales inæquilongas gerente,* spinularum altera sæpe bifida, semine verticali.

A flumine Murray's River usque ad fluvium Burdekin's River et saltem fonte Victoria-Spring tenus.

Chenolea salsuginosa.

Threlkeldia salsuginosa, F. M. Fragm. vii. 12 ; Benth. Fl. Austr. v. 198.

Glabra, foliis crasse linearibus brevibus succulentis, floribus minutis solitariis, stigmatibus perbrevibus, *calyce fructifero parvo indurato fere globoso vel pyriformi unilateraliter gibboso-protuberante* haud spinescente, semine pæne sphærico.

Ad flumen Murray-River et secus fluvios eidem tributarios inferiores.

Ad Chenoleam æquo modo reducantur Threlkeldia proceriflora, Enchylæna marginata, Anisacantha lanicuspis, A. Birchii, A. glabra, A. brevicuspis, Sclerolæna bicornis.

Chenolea enchylænoides.

Enchylæna villosa, F. M. in Transact. Phil. Inst. Vict. ii. 76 ; Benth. Fl. Austr. v. 182.

Herbacea, humilis, depressa, sæpe villosa, foliis lanceolato- vel oblongo-linearibus acutis, floribus solitariis, *calyce fructifero in lobos 5 dilatatos inflexos crassos inæquales producto* nec indurante neque spinescente, semine horizontali.

A portu Phillipi et sinu St. Vincenti trans flumen Darlingi extendens.

Fasciculus LXXXV. editus Octobre 1876.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXVI.

Menispermeæ.

Fawcettia.

Sepala 6, membranea; tria exteriora ovato-lanceolata; tria interiora longiora, lato- vel orbiculato-ovata, æstivatione imbricata. Petala sex, sepalis exterioribus paulo longiora, obcordato- vel rhombeo-orbicularia, membranea. *Stamina sex, libera. Filamenta planiuscula.* Antheræ cordatæ, rimis longitudinalibus dehiscentes. Carpidia oblique ovata, turgida, stigmate terminata. Endocarpium extus echinulato-scabrum. Condylus ample intrans, uniloculatus. Semen longitudinaliter hipprepico-arcuatum. *Albumen æquabile. Cotyledones latissimæ,* planæ, integerrimæ, divergentes. Radicula tenuis, brevissima.

Frutex Australiæ orientalis extratropicæ circumvolvens, glaberrimus, sempervirens, foliis chartaceis simplicibus, cordato- vel lanceolato-ovatis integerrimis ex ipsa basi conspicue petiolatis, panicula mascula elongata e spiculis numerosis brevibus formata, fructibus majusculis extus rubris.

Genus jam in volumine hujus operis nono, p. 83, indicatum, inter omnia proximum Fibraureæ, diversum numero sepalorum, magnitudine petalorum, endocarpio valde turgente extus undique scaberrimo, condylo haud longitudinaliter pliciformi; a Tinospora jam divellens albumine haud ruminato-plicato, radicula admodum abbreviata.

Fawcettia tinosporoides.

Fibraurea tinosporoides, F. M. coll.

Ad flumen Richmond-River; C. Fawcett.

Folia 2–3″ longa, 1–2″ lata, fere concoloria, utrinque nitentia, e sua basi 3–5-nervia, prominule reticulari-venosa, petiolo fere pollicari prædita. Paniculæ e ramis vetustioribus sine foliis

erumpentes ; mascula circiter spithamam longa, e spicis paulo interruptis uncia brevioribus sursum brevissimis. Sepala interiora circiter $\frac{2}{3}'''$ longa, integerrima. Petala virentia. Antheræ luteæ. Flores fœminei ignoti. Carpidia $\frac{2}{3}$–1″ alta. Semina præamara. Endocarpium lividum, pergamentaceum. Lamina albuminis interior tenuis, exterior tenuissima. Cotyledones albumine vix angustiores et parum breviores.

Flores et fructus seorsim missi ad eandem speciem pertinere dicuntur.

Stephania hernandifolia ad flumen Gilberti varietatem producit foliis cordatis ex ipso sinu baseos profundo petiolatis, ut collectio Armitii docet.

Cappárideæ.

Capparis Shanesiana.

Busbecquea Shanesiana, F. M. coll.

Arborescens, aculeis stipularibus brevibus crassis leniter curvatis, *foliis magnis oblongo- vel lanceolato-ovalibus breviter petiolatis subtus velutino-pubescentibus* supra pilosulis, floribus magnis plerisque terminalibus corymbosis, pedicellis longiusculis cum calycibus ramulisque velutinis, alabastris inferne globosis superne pyramidato-contractis longitudinaliter sulcato-angulatis, sepalis duobus extimis primum prorsus connatis demum valvato-solutis, stylo parce lanuginoso, *germine glabro,* fructu magno globoso rugoso muricato-tuberculato umbonato.

In virgultis "Brigalow-Scrubs" dictis pone urbem Rockhampton rara, O'Shanesy ; ad Herbert's Creek, Bowman.

Arbor minor. Cortex rugosus. Rami patentes. Folia 3–4″ longa, 1–1½″ lata, paulo coriacea, satis fragilia, petiolo 3–9‴ longo prædita, supra pallide virentia, subtus fere cinerascentia. Aculei stipulares sesquilineares, sæpe absentes. Pedicelli floriferi 1½–2″ longi, fructiferi ad 3″ extensi. Alabastra pollicem alta. Petala saltem sesqui-pollicaria. Stylus 2½–3″ longus. Fructus biuncialis.

Hanc speciem brevitas petiolorum, elongatio foliorum et forma calycum inexpansorum jam a C. canescente removent ; neque eam ulli C. Mitchelli formæ addare potui.

Meliaceæ.

Flindersia Ifflaiana.

Præalta, ramulis cum petiolis pedunculisque parum puberulis, *foliis oppositis* longe petiolatis plerisque pari-pinnatis et 6- usque 10-foliolatis, rachi aptero, *foliolis conspicue petiolulatis* crasso-chartaceis fere ovatis utrinque glabris vix inæquilateris, nervis venisque haud prominentibus, paniculis amplis compositis, pedun-

culis secundariis oppositis, petalis parvis intus glabris extus subtilissime parceque pilosulis, *staminibus brevissimis glabris, antheris muticis*, staminodiis acutiusculis, stigmate fere sessili peltato, *capsulæ majusculæ valvis dorso tubercula ampla depressa parum acuta gerentibus* utroque latere læviusculis et hinc haud crasse lignescentibus, *seminibus superne alatis* inferne apteris ad utrumque placentæ latus geminis.

Ad oram Trinity-Bay ; W. Hill.

Arbor procera, sempervirens. Lignum durum. Foliola opposita, copiosissime pellucido-punctata, pleraque $2\frac{1}{2}$–$4\frac{1}{2}''$ longa, aliquot passim lanceolari-oblonga. Rachis angulosa. Petioluli circiter $3'''$ longi vel nonnunquam longiores. Paniculæ terminales ; pedunculus primarius breviusculus. Flores numerosissimi. Calyces linea breviores. Petala pallida, ovata, lineam paulo excedentia. Stamina petalis pluries multotiesve breviora. Staminodia filamentis fertilibus æquilonga, quibuscum discum valde flexuosum glabrumque breviter superantia. Stylus brevissimus. Capsula circiter $2''$ alta, tuberculis majusculis sed parum prominentibus aspera, profunde in carpidia secedens. Placentæ septiformes, 1–$1\frac{1}{2}''$ longæ. Semina longitudine 4–$5'''$ metientia, a summitate alam pellucentem duplo longiorem emittentia.

Seminia semialata hanc speciem jam a ceteris præter F. australem et fortasse F. Bennettianam separant ; ab illa aliis notis longe distans ; ab hac propter petiolulorum evolutionem, foliola nec coriacea, nec sæpe impari-pinnata, nec conspicue glanduloso-punctata tenuitatem nervorum venarumque in foliolis, flores minores, filamenta fertilia multo breviora, tubercula fructuum ampliora et minus acuta recedens. Cum congeneribus foliola distincte petiolulata exhibentibus, nempe F. Pimenteliana et F. Brayleyana, nullo modo confundenda.

Speciem grate dicavi præclaro S. Iffla, M.D., scientiarum progressum apud nos avide sustinenti.

Crescit quoque ad Trinity-Bay secundum Hillii collectionem F. Scottiana var. pubescens. Illustris D'Albertis speciem Flindersiæ in Papua nuper detexit.

STERCULIACEÆ.

Hannafordia Bissillii.

Hispidulo-velutina, *foliis oblongo-lanceolatis integerrimis* brevissime petiolatis, stipulis bracteisque lineari-subulatis perminutis sæpe obliteratis, pedunculis unifloris rarius bifloris, *calycis laciniis in acumen subulato-lineare productis tubo ter longioribus*, petalis ovato-lanceolatis calyce quater brevioribus cum staminodiis pallide flavidis, antheris styloque breviusculis, capsula parva tri- vel quadri-valvata.

Trans montes Alfred-Marie's Range ; Giles.

Folia $\frac{3}{4}$–$1\frac{1}{2}''$ longa, margine plana, supra asperius pilosula, perrare fere cordata, petiolo 1–2''' longo prædita. Stipulæ vix lineam longæ, cito deciduæ. Bractea sub calyce solitaria, stipuliformis. Calyx 9–10''' longus, extus stellari-tomentellus, intus glabriusculus ; tubus prominenter striatus. Petala planiuscula, acuta vel acuminulata, sessilia, venosa. Antheræ oblongo-ovales, erectæ, ochroleucæ, longitudinaliter dehiscentes, ad marginem tubi staminum brevissimi sessiles. Staminodiorum quinque linguları-linearia, decem lineari-setacea, omnia glabra et petalis fere æquilonga. Stylus pallidus, glaber, vix lineam longus. Germen velutinellum. Capsula 3–4''' longa. Semina ignota.

Speciem dicavi cl. Waltero Bissill, qui permultas plantas ad museum nostrum contribuit, et de vegetatione indigena observationes numerosas instituit. H. quadrivalvis facile jam separabilis a nova propter magnitudinem foliorum, marginem eorum sinuatum, petiolos longiores, calycem minus profunde divisum, bracteam duplicem vel triplicem diu persistentem, petala distinctius acuminata, capsulam aliquoties majorem. H. Shanesii amplius adhuc distat ob elongationem foliorum et petiolorum, illorum superficiem saturate virentem fere glaberrimam, auctum bractearum numerum, calycem aliquoties ampliorem vix medio tenus sectum petala semisuperantem quibuscum intus atro-purpureum, antheras cum stylo longiores, capsulam aliquoties majorem. Hæc ultima species ad St. Lawrence a W. Fisher legebatur. Genus autem a Commersonia nunquam longe removendum.

Seringea corollata.

Steetz in Lehm. Pl. Preiss. ii. 350 ; Keraudrenia integrifolia, Hook. in Mitch. Trop. Austr. 341, non Steud. ; K. Hookeriana, Walp. Annal. Bot. Syst. ii. 164 ; Benth. Fl. Austr. 246 partim.

Cinereo-velutina, foliis angusto-oblongis integerrimis supra viridulo-canis et paulo rugosis, stipulis bracteisque præangustis caducis, calycibus e cœruleo pallescentibus, lobis eorum paulo acutis, petalis præsentibus vel nullis, antheris atro-cyaneis, staminodiis 5 lineari-setaceis, *carpidiis dense albo-lanuginosis depressis* diu cohærentibus dispermis vel passim 1- v. 3-spermis, *seminibus haud curvatis.*

Ad Lindley's Range, Mitchell ; Cape's and Thomson's River, Birch ; Robertson's River, Armit.

Seringea adenolasia.

Keraudrenia adenolasia, F. M. coll.

Glanduloso-hirsuta, foliis herbaceis ovato-lanceolatis basi cordatis margine *irregulariter crenato-denticulatis* passim inferne lobatis supra virentibus et valde rugosis, *stipulis rhombeo- vel*

ovato-lanceolatis diu persistentibus, bracteis parvis lanceolato-linearibus, calycibus cœrulescentibus ante expansionem valde angulato-plicatis, *lobis calycis acuminatis*, petalis perminutis rhombeo-orbicularibus, antheris flavis, staminodiis 5 lineari-setaceis, *carpidiis stellari-hirsutis et setulosis, seminibus haud curvatis.*

Ad flumen Robertson's River, Armit; ad Gilbert's River, Daintree.

Folia 2–4″ longa, $\frac{2}{3}$–1$\frac{2}{3}$″ lata, subtus cano-virentia, nunquam pallidissima. Stipulæ 2–3‴ longæ, haud membraneæ. Pedunculi 1- usque pauci-flori. Calyces denique ad semipollicis diametrum expandentes. Antheræ arcuato-hippocrepicæ, oblongæ, basi bilobæ. Filamenta perbrevia, deorsum turgida. Styli in unum coaliti, capillares, breves. Fructus calycem æquans. Semina atra, opaca, 1‴ longa, minute strophiolata.

Seringea nephrosperma, F. M. in Hook. Kew Misc. ix. 15, genuina tantum a fluviis Victoriæ Hooker's et Sturt's Creek nota. Planta Stuartii ad sequentem speciem pertinet.

Seringea integrifolia, F. M. Fragm. ii. 5, nunc obtenta a Champion-Bay (Guerin), Lake Deborah (Harper), Boxvale (Wells), Macdonnell's Range (Giles), Forster's Range (J. Macd. Stuart). Drumm. 61.

Seringea lanceolata, Steetz l. c., includere videtur plures plantas in Fl. Austr. 246 sub Keraudrenia Hookeriana inclusas, foliis magnitudine admodum variantibus, supra insigniter rugatis (ut Steetz jam dixit) ibique aut glabris aut stellari-pilosis cum v. absque glandulis, carpidiis interdum maximis calycem longe superantibus nonnunquam (in silvis ad Rockingham's Bay) membraneo-bialatis vel biangulatis fimbriatisque. Tali modo plantæ in campis ipsis ultra observandæ nunc huc tractæ a: Nicholson's River (F. M.), Gainsford et Cape's River (Bowman), Toowoomba (Hartmann), Darling's Downs (Lau), Pine-River (F. M.), Robinson's Range (Leichhardt).—Keraudrenia Hillii in Nova Anglia occurrit (C. St.). Setulæ aliquot in carpidiis sæpe adsunt.

Seringea platyphylla, J. Gay in Mem. du Mus. vii. 443, t. 16 et 17, nunc quoque a New England et Moreton's Bay nota.

Portulaceæ.

Portulaca Armitii.

(Sect. Siphonopetalum.)

Glabra, humilis, *foliis oppositis cordato-orbiculatis* perparvis, axillis imberbibus, floribus axillaribus et terminalibus exinvolucratis solitariis, *calycis parte decidua inferne longe tubulosa* partem persistentem longitudine pluries excedente, *petalis* purpureis calycem conspicue excedentibus *in tubum gracillimum*

longe coalitis staminibusque quatuor, operculo semigloboso umbonato, *seminibus fuscis lævibus.*

In locis humidis ad flumen Robertson's River ; Armit.

Planta bi- usque paucipollicaris. Folia $1\frac{1}{2}$–3''' metientia, perbreviter petiolata, cum caulibus ramisque erubescentia. Pedicelli sesquilineares et breviores. Pars calycis decidua 3–5''' longa. Petalorum lamina circiter 3''' longa, igitur tubo brevior. Antheræ oblongo-ovales. Stigmata in stylo elongato exserto brevissima et dilatata. Operculum 1–$1\frac{1}{2}$''' altum, parte capsulæ basali paulo longius. Semina satis numerosa, turgidula, splendentia, $\frac{1}{4}$''' metientia.

Species pluribus characteribus P. bicolori cognata, simul cum P. saxifragoide et P. sedoide (Welwitsch in Oliver's Flora of Tropic Africa, i. 149) in genus propium sub nomine sectionali nunc indicato facile exaltanda, nisi melius iiscum ad Montiam transferanda.

Leguminosæ.

Acacia volubilis.

(Sect. Calamiformes.)

Primum breviter pilosula, *ramis valde tortilibus* sulcato-striatis glabrescentibus, *phyllodiis brevibus tetragono-linearibus* muticis articulate ramulo insertis, *capitulis solitariis* pedunculo perbrevi sericeo-pubescenti impositis plurifloris, bracteis lineari-lanceolatis extus margineque sericeis, calycis quinquefidi laciniis deltoideo-semilanceolatis ciliosis, petalis calyce saltem duplo longioribus striolatis infra medium connatis fere glabris.

Ad Boxvale trans urbem York ; Julia Wells.

Ramuli circiter lineam crassi, irregulariter sed insigniter torti. Phyllodia 2–8''' longa, circiter 1''' crassa. Stipulæ brevissimæ, subulatæ, tarde deciduæ. Pedunculi $1\frac{1}{2}$–2''' longi. Bracteæ vix lineam longæ, fere stipitatæ. Corolla rigidula, pæne $1\frac{1}{2}$''' longa. Stamina vix semiexserta. Legumen ignotum.

Species ab A. spinescente propter præsentiam phyllodiorum, pedunculos evolutos atque calycum et bractearum formam longe diversa ; ab A. tretragonocarpa phyllodiis nunquam valde elongatis, pedunculis brevioribus haud glabris, pluritate florum in capitulo, nec non bractearum et calycum indole jam absente fructu divellenda. Cum ulla congenere ex A. collectioidis serie neutiquam facile confundi possit.

Myrtaceæ.

Eucalyptus Watsoniana.

(Sect. Rhytiphloiæ.)

Arborea, ramulis teretiusculis, foliis sparis ovato- v. angusto-lanceolatis leniter falcatis concoloribus longiuscule petiolatis im-

perforatis, venis valde divergentibus subtilissimis copiosis, duabus longitudinalibus margini valde approximatis, paniculis terminalibus pauci- vel plurifloris, pedunculis ultimis 2–4-floris, *calycis majusculi tubo campanulari-turbinato* longitudinem pedicelli quadranguli æquante fere ecostato, *operculo præcrasso patellari breviter umbonato lævi latitudinem tubi superante*, staminibus flavidis omnibus fertilibus, antheris lineari-oblongis secus marginem dehiscentibus, stylo brevi, stigmate haud dilatato, *fructibus magnis urceolari-campanulatis* suo vertice leniter descendente orificium late cingente extus circum verticem sulcato-annulato, *valvis* 3–4 *deltoideis omnino inclusis, seminibus fertilibus apteris sterilia magnitudine valde excedentibus.*

In montibus prope Wigton ; Th. Wentworth Watson.

Arbor altitudinem saltem 60′ attinens. Cortex, notante inventore, persistens, rugosus et aliquotenus squamosus, rufo-fuscescens. Folia bene evoluta 4–5″ longa, 1–1½″ lata, opaca, chartaceo-coriacea. Pedunculi cum pedicellis binis usque quaternis satis validi. Calycis florentis tubus fere ½″ altus, sæpe verruculosus. Operculum tubo conspicue latius, tali modo saltem semipollicem latitudine attinens, nitens, nunc depressissimum et longiuscule umbonatum, nunc convexius et apiculo brevi sensim terminatum. Staminum longiora ⅔″ metientia, stylum longe superantia. Antheræ saltem semilineam longæ. Calyx fructifer pollicem longus, infra marginem terminantem leniter contractus. Vertex capsulæ ante dehiscentiam planus. Semina brunnea, nitida ; fertilia valde compressa, lævia, 2–3‴ longa, margine acuta.

Species loco natali "Bloodwood" vocatur. Ab E. urnigera facile separanda venatione foliorum pertenui et copiosissima, floribus paniculatis fructibusque conspicue majoribus, porro ut ab omnibus aliis congeneribus nisi E. gomphocephala propter amplitudinem operculi luculenter diversa, in seriem E. corymbosæ ponenda.

Eucalyptus Raveretiana.

(Sect. Rhytiphloiæ.)

Alte arborea, ramulis tenuibus angulatis, foliis sparsis chartaceis ovato- v. elongato-lanceolatis fere æquilateris vel parum falcatis opacis copiose pellucido-punctatis subtus pallidioribus, venis subtilissimis remotiusculis quarum longitudinalibus margini valde approximatis, umbellis pauci- vel plurifloris paniculatis, *floribus minutis, calycis tubo hemisphærico longitudine operculi conici acuti ter excesso* breviter pedicellato, staminibus omnibus fertilibus, *antheris perminutis renato-cordatis* utrinque rima longitudinali dehiscentibus, stigmate latitudinem styli haud excedente, *fructibus minimis trilocularis, valvis brevissimis semiexsertis,* seminibus apteris.

In vallibus udis silvaticis et secus ripas umbrosas Australiæ orientalis capricornicæ ; O'Shanesy.

Arbor foliatione partim decidua, ut detector monet. Rami se decorticantes. Folia 3–5″ longa, $\frac{3}{4}$–1$\frac{1}{4}$″ lata, aliquot minoribus interspersa, longiuscule petiolata, haud valde acuminata. Paniculæ axillares et terminales, 1–3-unciales. Pedicelli pertenues, 1–2‴ longi. Operculum fere membraneum, circiter sesquilineam longum. Staminum longiora vix 1$\frac{1}{2}$‴ excedentia. Fructus linea paulo latior ; margo tenuis verticem convexum circumdans. Semina matura me nondum visa.

Species E. brachypodæ propinqua, foliis evidenter discoloribus latioribus fere occulte venosis, calycibus minoribus sicut eorum tubi et operculi disparilitate, antheris potius reniformibus quam globosis, denique minutie fructuum insigni divellenda. Amplius distat ab E. crebra, quæ arctius E. brachypodam approximat, et insuper longitudine fructuum et inclusione valvarum profundiore discrepat. E. brachyandra a nova nostra sicut omnibus aliis filamentis brevissimis se separat. E. micrantha et E. stellulata præter flores admodum parvos vix ullis aliis notis congruæ. Restat adhuc comparationi E. microcorys, quæ foliatione non dissimilis, sed pedicellis longioribus, proportione longitudinis operculi et calycis tubi, nec non fructibus saltem duplo majoribus jam disparilis.

Speciem memorabilem tribuo præclaro M. C. Raveret-Wattel, M.D., Societatis pro acclimatione Parisiensis scribæ munus primarie tenenti, operis recentis, "l'Eucalyptus, son introduction, sa culture, ses propriétés et usages" auctori merito.

Compositæ.

Epaltes pleiochæta.

(Sect. Ethuliopsis.)

Erecta, glabra, punctulato-viscida, *foliis fere linearibus integerrimis* breviusculis haud decurrentibus, *capitulis dioicis* pedunculo suo longioribus solitariis vel geminis, masculis ovato-campanulatis, involucri squamis pluriseriatis appressissimis ciliolatis, *setis florum masculorum* 13 *vel paucioribus.*

Prope Wilcamiam trans flumen Darlingi ; F. Bonney.

Frutex ramosissimus. Folia $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longa, nisi inferiora fortasse longiora, omnia plana, acutiuscula. Capitula mascula ramulos terminantia, circiter 3‴ longa, late obconica. Squamæ involucrantes viscoso-cohærentes ; exteriores ovatæ ; interiores longiores, angustæ, apicem versus rubellæ. Corollæ sursum purpurascentes, haud numerosæ. Stylus indivisus. Achenia abortiva. Pappi setæ 1–1$\frac{1}{2}$‴ longæ, vix brevissime ciliolatæ, acutæ. Capitula femina ignota.

Integritas, minuties et angustia foliorum, ramuli haud angulosi, auctus squamarum involucri numerus et setæ pappi masculi haud perpaucæ hanc novam speciem ab E. australi separant. Hæc nova planta pluribus notis ad Helichrysi sectionem Ozothamnum vergit. Transit quoque ad Plucheam baccharoidem.

Leptorrhynchus Baileyi.

Humilior, foliis linearibus margine revolutis, *pedunculis brevibus* vel fere nullis, capitulis parvis hemisphæricis, involucri squamis tenerrimis anguste lanceolatis acuminatis ciliatis conformibus, interioribus longiuscule stipitatis, corollis glanduloso-scabridis, extimis gracilioribus femineis, acheniis glabris erostribus, *pappi setis* 2–3 *supra medium plumoso-barbatis.*

Ad Mount Abundance ; Bailey.

Planta adscendens, circiter spithamæa. Caules ramique lanugine demum secedente obducti. Folia copiosa, 3–9‴ longa, ob recurvationem angustissima, haud rigidula, supra denique glabrata, capitulis tenus extendentia nisi suprema in squamulas mutata. Capitula solitaria, semipollicem lata. Squamæ involucri præter stipitem vix linea longiores, pellucidæ, apice flavescentes. Corollæ $1\frac{1}{2}$–2‴ longæ ; extimæ gracillimæ et dente limbi uno alterove pauciore præditæ. Achenia 1‴ breviora. Pappus albus, vix sesquilinearis, tenerrimus.

Hic novus L. pulchello approximandus ; desunt autem pedunculi ejus elongati ; capitulorum basis est rotundata non turbinata et pappi setæ multo amplius sunt ciliatæ. Nihilominus quoque in exemplaribus L. puchelli collectionis Drummondianæ pappum fere L. Baileyi vidi, quod incertum hujus characteris particularis saltem in illa specie demonstrat.

Nostra nova aliquot characteribus ad Helichrysum oligochætum vergit.

Ipsum genus Leptorrhynchus revera nil nisi sectionem Helichrysi constituit, uti diu dixi.

BIGNONIACEÆ.

Tecoma Hillii.

Scandens, *foliis sesqui-pinnatis, foliolis* ovato-lanceolatis acuminatis integerrimis, eis paris superi sessilibus, eis *paris inferi foliolo altero minore comitatis* atque conspicue petiolulatis, corymbis 6–8-floris, *calyce magno ad trientem in lobos deltoideo-semilanceolatos fisso, corollæ* majusculæ præter apicem extus intusque glabræ *tubo inferne longe cylindraceo, lobis brevibus* rotundo-deltoideis fere æqualibus integerrimis, staminum longioribus ad limbum usque extensis, antheris majusculis, staminodio perbrevi, germine ellipsoideo.

Pone sinum Hervey-Bay ; W. Hill.

Folium unicum mihi transmissum constat e foliolis 5 primariis 2–3″ longis et 2 secundariis ima illorum deorsum comitantibus et circiter pollicem longis, omnibus tenui-chartaceis, haud conspicue nitentibus. Pedicelli unius inflorescentiæ me visæ conferti, $\frac{1}{3}$–$\frac{2}{3}$″ longi, ad basim bracteis subulato-linearibus sesquilinearibus pilosulis obsessi. Calyx præter marginem loborum ciliolatum glaber, fere pollicem longus, membraneus, laxus, secus tubum haud fissus. Corolla bipollicaris, triente inferiore vix sesquilineam crassa, abhinc valde ampliata ; lobi 3–4‴ longi, marginem versus perbreviter crispulo-pubescentes. Stamina ad initium amplitudinis corollæ inserta, glabra ; filamenta filiformia ; antheræ flavæ ; loculi æquales, anguste ellipsoidei, 1$\frac{1}{2}$–2‴ longi, valde divergentes, apicifixi, longitudinaliter dehiscentes. Staminodium 2–3‴ longum, anthera diminuta præditum. Stylus sesquilinearis, filiformis, glaber. Stigmatis lamellæ 2 semilanceolatæ, lineam longæ, glabræ. Gemmulæ in utroque germinis latere confertissimæ, non placentis disjunctæ. Capsula statu tantum valde juvenili visa, brevissime stipitata. Semina numerosa ; membrana eorum cingens rotundata haud ciliata.

Positio hujus plantæ elegantis in suo genere adhuc dubia, fructu detegendo confirmanda nisi mutanda, ob folia non simpliciter pinnata quasi anomala, ab ambabus aliis Tecomis Australiæ longe diversa. Foliatio transitum indicat ad Tabebuiam, Incarvilleam et Stereospermum inter Tecomeas, ad Pleonotomam, Adenocalymma, Macfadyenam, Millingtoniam et Oroxylum inter Bignonieas, nec non ad Jacarandam in ejus tribu. Flores inexpansos non habui ; in expansis nullam indicationem æstivationis Haussmanniæ notavi.

Asperifoliæ.

Trichodesma latisepaleum.

T. Zeylanicum, var. latisepaleum, F. M. in Benth. Fl. Austr. iv. 404.

Altius, valde ramosum, foliis oblongo- vel ovali-lanceolatis sessilibus, inferioribus oppositis, superioribus summisve sparsis, omnibus breviter appresso-pilosis et supra hispido-villosis, *pedicellis patentissime villosis, calycum segmentis latis inferne cordatis exauriculatis, fundo corollæ luteo vel aurantiaco,* caryopsibus dorso lævissimis margine integerrimis.

Ad Hooker's et Sturt's Creek, F. M. ; Mackinlay's Range, Sutherland ; Peak-Downs, Burkitt ; Burdekin's River, F. M. ; Gilbert's River prope Junction-Creek, Armit.

Hæc planta forsan perennis a T. Zeilanico videtur specifice distincta pilis pedicellorum calycumque semper patentissimis, latitudine divisionum calycis, nec non colore corollæ basali nunquam albo, ut nunc cl. Armit observavit, qui etiam caulem altiorem et copiosius ramosum dixit. Forma segmentorum calycum fere

eadem ac eorum Trichodesmatis angustifolii (Harv. Thesaur. Capens. t. xl.).

Apocyneæ.

Alyxia Thozetii.

Glabra, *foliis oppositis oblongo- vel lanceolato-linearibus* longiusculis chartaceis muticis, venis eorum subtilissimis fere occultis, pedunculis axillaribus umbellato-trifloris, *floribus tetrameris* parvis, calycis segmentis glabris acutis, corollæ tubo prope antheras perparum pilosulo, lobis fere rotundis, stigmate ellipsoideo acutato glabriusculo, *fructibus nigritis* uniarticulatis ovatis rostellatis monospermis.

In Australia orientali tropica.

Frutex paucipedalis, lactescens, balsamico-odorus. Folia pleraque 2–3″ longa, 3–4‴ lata, perbreviter petiolata. Pedunculi circiter semipollicares. Pedicelli 1–1½‴ longi. Calyces longitudine lineam metientes. Corollæ 2–3‴ longæ. Antheræ sensim acuminatæ. Stylus perbrevis, cum germine glaber. Fructus pæne semipollicares, exsucci. Semen septo imperfecto unilateraliter sulcatum. Albumen ruminatum, fulvescens, cotyledonibus albidis multo latius.

Species in horto Thozetiano nata e seminibus, quæ aves migratoriæ reliquerunt. Ab A. stellata separatur jam dispositione et forma foliorum, tenuitate venarum et latitudine loborum corollæ; ab A. obtusifolia recedit angustia et geminatione foliorum nec non fructibus majoribus; ab omnibus congeneribus removetur calyce 4-partito, corolla quadriloba et antheris quatuor. Plantam finitimam e Nova Caledonia florigeram distribuit Pancher sub 308, diversam foliis ternatis bis brevioribus, floribus pentameris; fructus comparandi.

Notonerium Gossei (Benth. in B. et H. Gen. Pl. 698) in J. Hooker iconibus plantarum a Fitchio sub 1180 bene illustratur. Planta ex Australia centrali venit.

Alismaceæ.

Tenagocharis.

Hochstetter, in der Regensburger Botanischen Zeitung, Jun. 1841.

Sepala tria exteriora calycina, ovata, persistentia; tria interiora tenerrima, petaloidea. Stamina 9 nisi pauciora. Filamenta linearia, sursum angustata. Antheræ lineari-oblongæ, basifixæ; loculi contigue paralleli, longitudinaliter dehiscentes. Germina 6–9, fere libera; gemmulæ parietales, copiosissimæ. Stigmata simplicia, pæne sessilia. Carpidia acuminata, secus marginem interiorem dehiscentia. Semina numerosissima, perminuta, fere ovata, utrinque sulco impressa. Albumen nullum. *Embryo cylindricus, in for-*

mam hippocrepico-ellipsoideam conduplicatus.—Herba in regionibus intratropicis Africæ, Asiæ sicut Australiæ proveniens, glabra, erecta, radice fibrosa annua, foliis omnibus radicalibus anguste lanceolatis, pedunculo solitario cauliformi umbelligero, sepalis interioribus satis parvis albidis.

Tenagocharis Cordofana.

Hochstetter l. c. T. latifolia, Buchenau in den Abhandlungen des naturforschenden Vereines zu Bremen, 1868; Butomopsis lanceolata, Kunth, Enum. iii. 164; Al. Braun, in Regensb. Bot. Zeit. 1843, p. 499; Chatin, Anatomie comparée des Végétaux, t. 18; Miquel Flor. Ind. Batav. iii. 24; B. latifolia, Kunth. l. c.; B. Cordofana, Kunth. in Walp. Annal. Bot. System. i. 769; Butomus latifolius, D. Don Prodrom. Fl. Nepalens. 22; B. lanceolatus, Roxb. Fl. Indic. ii. 315.

In lacunis ad flumen Gilberti; Armit.

Exemplaria Australiana Assamicis a Jenckinsio lectis conveniunt.

Alisma parnassifolium a Bassi in Linné Syst. Nat. ed. xii. vol. 230 nomen suum specificum accepit, fide indagationum præclari Ascherson in der Bot. Zeit. 1868, p. 344 et præsertim Gras in Bullet. de la Soc. Bot. de France 1864, p. 71; Bassi Comment. Acad. Bononiens. vol. vi. p. 13, anno. 1783.

E regione nostra Tenagocharim Cordofanam alente porro habeo: *Scirpodendron pandaniforme* (Zipp. in Miq. Illustr. de la Flore de l'Archipel Indien, p. 65, tab. xxviii.; S. costatum, Kurz in the Journal of the Asiatic Society of Bengal, xxxviii. 85). Hoc quoque aut speciem similem a reverendo S. J. Whitmee in Samoa collectum accepi.

Filices.

Davallia nephrodioides.

Deparia nephrodioides, Baker in the Gardener's Chronicle, 1872, p. 253; Hook. et Bak. Synops. Filic. second edit. p. 463.

Secus raches tomentella, frondibus ambitu rhombeo- vel lanceolato-deltoideis tripinnatis membraneo-chartaceis, *pinnulis ultimis basi decurrente sessilibus fere oblongis crenato-incisis* parce pilosulis vel fere glabris, venis pinnato-patentibus præter summas simplices di- vel oligocladis, *soris* ad dentes pinnularum tertiarum sitis *indusio nephroideo-orbiculari teneri-membraneo suffultis.*

In insula Howei; Moore et Fitzgerald.

Cl. Baker hanc filicem (Gardn. Chronicle, l. c.) ad Dicksoniam trahere maluit.

Fasciculus LXXXVI. editus idibus Februarii 1877.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

LXXXVII.

Cruciferæ.

Erysimum Richardsii.

(Sect. Blennodia.)

Pilis appressis simplicibus vel dicladis partim vestitum, foliis glabrescentibus lanceolatis pauci- et grandi-dentatis pedicellis longiusculis, sepalis diu persistentibus basi vix gibbosis, *petalis flavis calyce duplo longioribus,* stigmate crassitiem styli pertenuis brevisque paulo excedente, *siliqua tomentella perbrevi* obtusiuscula oligosperma.

Prope portum Eucla; Richards.

Herba erectiuscula vel procumbens, foliosa, forsan annua. Caules copiosius pilosi. Folia præter summa longiuscule petiolata, bipollicaria vel breviora. Racemi confertiflori. Pedicelli sub anthesi circiter 2‴ longi, fructigeri ad semipollicem elongati nisi longiores, cum calycibus pedunculisque appresso-pilosuli. Sepala ovata, lineam paulo excedentia. Petalorum basis latiuscula. Stamina 6. Stylus linea paulo brevior. Germen ovato-oblongum, paucigemmulatum. Fructus maturatus nondum notus.

Species ab E. eremigeno et E. nasturtioide petalis majoribus et præcipue stylo bene evoluto dignoscenda.

Monimieæ.

Atherosperma repandulum.

Daphnandra repandula, F. M. coll.

Fruticosum, demum arborescens, *foliis tenui-chartaceis fere lanceolatis sensim longe acuminatis margine leniter repandis,* petalis minutissime glanduloso-fimbriolatis, fructibus longiusculis.

Ad oram maris apud Rockingham's Bay, Dallachy; pone Trinity-Bay, Bailey.

Hoc congener a typico specifice distare videtur foliis conspicue tenuioribus haud eminenter dentatis sæpe fere edentulis, petalis haud integerrimis. Amba ulterius observabo. A. repandulum jam statu fruticoso floret. Fructum A. micranthi jam in opere "Plants of Victoria," i. 220 rite descripsi ; simillimi sunt fructus A. repanduli. Cortex saltem illius non aromaticus.

Atherosperma moschatum Novam Austro-Cambriam intrat, ubi ad montes secus flumen Humei altitudinem 4000 pedum adscendit. Hæc arbor, observante reverendo Spicer, sæpe ni semper monoica. Hedycarya Cunninghami circum bases montis Kosciuszko notatur. Piptocalyx Moorei in Nova Anglia occurrit e collectionibus nuper defuncti C. Stuartii.

Myrtaceæ.

Eucalyptus Torelliana.

Alte arborea, ***ramulis teretibus petiolisque hispidulo-scabris, foliis lato- vel cordato-ovatis*** sparsis vel passim oppositis supra saturate virentibus remotiuscule penninerviis parcissime hispidulis, vena peripherica a margine distante, ***paniculis terminalibus*** multifloris glabris, pedunculis ultimis validis angulosis plerisque longiusculis, ***pedicellis brevissimis, calycis exangulosi tubo campanulari-semiovato longitudinem operculi depresso-hemisphærici vix apiculati duplo excedente,*** staminibus ante expansionem inflexis, antheris oblongis quarum loculis parallelis tota longitudine dehiscentibus, stigmate haud dilatato, germine triloculari.

Prope portum Trinity-Bay ; Fitzalan.

Ramuli satis validi, indumento fuscescente vestiti. Petioli circiter semipollicares, nisi paulo longiores. Folia potius chartacea quam coriacea, 2–3″ longa, $1\frac{1}{2}$–2″ lata, subtus dilutius virentia nec tamen pallescentia, neutro latere admodum nitentia, non acuminata, sed glandulis oleigeris pellucentibus copiosissime punctata, ad nervos conspicius hispidula, venis venulisque percursa. Panicula patenti-ramosa ; pedunculi ultimi conferti, sub anthesi semipollicem raro excedentes, frequenter breviores. Calycis florentis tubus circiter 3‴ longus ; operculum nitens, læve, vix ultra 2‴ latum. Flores expansos non habeo. Antheræ infra apicem dorsi glanduloso-incrassatæ. Fructus ignoti.

Species apud E. setosam inserenda absqua jam sparsione colore et magnitudine foliorum, evolutione petiolorum, paucitate pedicellorum in pedunculo et eorum abbreviatione, glabritie calycum et forma operculi discernibilis, quoad corticem, lignum, calycem fructificantem et semina serius comparanda. Ab E. latifolia divergit nostra nova indumento, foliis non glaucescentibus, floribus minoribus in quoque pedunculo paucioribus. Ab E. aspera jam distat distributione foliorum, quæ non glaucescunt et petiolis con-

spicuis insidunt, floribus in paniculas terminales confertis et forsan fructibus.

Speciei imposui nomen nobilissimi Comitis L. de Torelli, mebri Senatus Italiani, qui sub auspiciis regalibus arboreta Eucalyptorum in paludibus pomptinis ad miasmata supprimenda instituit.

Compositæ.

Helipterum Haigii.

(Sect. Pteropogon.)

Erectum, herbaceum, laxe v. parce lanuginosum, *foliis angusto- vel lineari-lanceolatis breviter decurrentibus* margine crispulis utrinque parcius vestitis ad inflorescentiam usque confertis, *capitulis parvis glomerato-corymbosis oblongo-cylindricis* paucifloris, involucri squamis extimis lanceolatis omnino hyalinis, ceteris lamina brevi ovato- vel deltoideo-rotundata lutea integerrima præditis, *acheniis glabris*, pappi setis 12–16 breviter plumosis.

Prope portum Eucla ; Richards.

Herba spithamæa usque pedalis quantum me visa, odora, fortasse annua, saltem primo anno florifera. Folia copiosa, utplurimum inter 1–2″ longa et 2–4‴ lata, satis tenera, concoloria, sæpe mucronulata. Capitula numerosa v. numerosissima, circiter 3‴ longa ; unguis squamarum parce lanuginosus, pellucens, prætener, mediarum et intimarum fere cuneatus, longitudinem laminæ terminantis fere duplo excedens ; laminæ igitur circiter lineam longæ, in capitulis junioribus imbricato-appressæ, in senioribus (me nondum visis) probabiliter patentes vel radiantes. Corollæ graciles, forsan conformes. Achenia brevia et sat tenuia. Pappus junior sesquilineam longus, leniter flavescens ; setæ tenerrimæ, æqualiter plumulosæ.

Planta pulchella, Chrysocephali facie, H. Humboldtiano approximanda, jam divellenda indumento totius plantæ laxiore, capitulis minoribus, involucri squamis exterioribus acutis non fuscescentibus, unguibus densius lanuginosis, acheniis glabris et pappi setis paucioribus.

Speciem dicavi amico Guilielmo Haig, M.D., Nosocomii Alfredi medico atque chirurgo militari, studiorum meorum fautori benignissimo.

Helipterum Kendalli habitu proxime stat H. heterantho ; species autem distinctissima.

Helipterum moschatum vide a Paroo (Malpas).

Helipterum polygalifolium habeo a Gawler's Range (Sullivan) ; var. leucactinam accepi a Darling's River (Andræ), Warrego (Bailey), Curruwillughi (Dalton), Ballandool (Looker). Hæc varietas simulat H. floribundum, sed involucri squamæ exteriores nec numerosæ nec acutæ. Herba e notis Baileyi ovibus pabularis.

Helipterum floribundum obtinui a Fraser's Range (Dempster), Alberga et Mount Olga (Giles), Barcoo (Schneider), Lake Gairdner (Babbage), Ballandool (Looker), Warrego (Bailey), Mount Murchison (Bonney), Murray-River (F. M.). Pappi setæ basi concretæ.

Helipterum Calvertianum.

Perenne, humile, *foliis brevibus linearibus obtusis revolutione marginum filiformibus,* capitulis terminalibus solitariis hemisphæricis satis parvis, pedunculis brevibus bracteas acutas gerentibus, involucri squamis exterioribus lanceolatis, mediis lamina lactea radiantibus brevissime stipitatis, intimis e stipite breviusculo glanduloso et lamina diminuta constantibus, *floribus extimis femineis, acheniis glanduloso-scabridis, pappi setis circiter* 12 *perbreviter plumosis.*

In tractu montium Blue Mountains prope Oldbury ; Ludovica Calvert.

Unicum specimen inventrice obtentum digiti altitudine. Rami lanugineo-tomentelli. Folia copiosa, inferiora ad $\frac{1}{2}''$ longa, suprema ad $2'''$ reducta, omnia perangusta. Capitulum semiunciale. Bracteæ involucrantes extimæ fulvescentes. Lamina bractearum mediarum $1\frac{1}{2}$–$2'''$ longa. Flores involucrum non excedentes. Corollæ florum bisexualium lineam paulo excedentes. Achenia tenuia, semilineam longa. Pappus pertener, corollam æquans ; setæ apicem versus densius barbellatæ.

Hanc novam speciem ab H. anthemoide facile separo foliis margine revolutis nec impresso-punctatis nec acutis, capitulis conspicue minoribus, squamis involucri externis acutiusculis, floribus extimis non conformibus, pappi setis tenuioribus potius barbellatis quam plumosis, acheniis tenuioribus non dense sericeis.

Planta forsan in genus Helichrysi felicius poni possit ; tunc species prope H. adenophorum inserenda.

Helipterum anthemoides alpes nostras ad altitudinem 6000 pedem nempe nivalem adscendit. Reçentius notabatur a Swanport (Story), Condamine's River (Hartmann), Brisbane's River (Prentice), Dawson's River (F. M. in Proceedings of the Linnéan Society, ii. 151), Darling's Downs (Lau).

Helipterum Manglesii (F. M. Fragm. v. 200) sub 344 Drummondio distributum.

Helipterum roseum inveniunt Dempster ad Fraser's Range, Harper prope Mount Jackson, Richards ad Eucla.

Helipterum polygalifolium ad flumen Murrayi intra coloniæ Victoriæ fines observavi.

Helipterum rubellum varietate leucactina ad Boxvale præclara Wells reperit.

Helipterum heteranthum habeo a fluvio Greenough-River (Ch. Gray).

Helipterum stipitatum inter Alice's Springs et Charlotte's Waters varietatem producit lanuginoso-tomentosam, foliis lanceolatis, involucri squamis extimis haud subulatis sed lanceolatis, laminis squamarum intimarum candidis. Hæ notæ specifici fortasse valoris. Species inter Helichrysa et Heliptera ambigit, atque Helichrysum podolepidium aliquotenus approximat.

Helipterum Humboldtianum interdum altitudinem semipedalem vix attinet ; prata graminosa diligit.

Helipterum tenellum in collectione Drummondi sub 350 habemus. Occurrit quoque inter Eucla et Fowler's Bay (Richards), Victoria-Spring et Ularing (Giles et Young), ad Phillip's-River (Maxwell), Stirling's Range in pascuis (F. M.) et Champion-Bay (Guerin). Hoc includit H. involucratum et H. gracile.

Helipterum strictum accepi a Fraser's Range (Dempster), Champion-Bay (Guerin), Ballandool-River (Looker), Gawler's-Range (Sullivan).

Helipterum corymbiflorum vidi copiosissimum in pascuis prope fluvios Campaspe-River, Edwards-River et Murrumbidgee; alii loci sunt : Warrego (Bailey), Castlereagh's-River (Woolls), Ballandool-River (Looker), Bowen's Downs (Birch), Flinder's-River (Gulliver). Variat monocephalum.

Helipterum pygmæum (F. M. Fragm. v. 200 et Coll.) inter plantas Drummondi sub 367 habemus. Occurrit porro inter Esperance-Bay et Fraser's Range (Dempster), Port Lincoln (J. S. Browne) et forsan in toto tractu eremorum interjacente ; Skipton (Whan) ; Edward's-River et Murrumbidgee (F. M.) ; passim semipedem paulo excedit, passim ad pollicem humiliatur.

Helipterum spicatum recenter vidi a Geograph-Bay (Bussell), Porongerup et circum Stirling's Range (F. M.), Lake Lefroy (Alex. Forrest).

Helipterum polycephalum in collibus basalticis circum Stirling's Range legi. Involucrum ætate campanulatum. Folia interdum omnia lato-lanceolata. H. corymbosum varietatis positione huc pertinet.

Helipterum exiguum obtinui a You Yangs (Fullagar), Lake Gilles (Burkitt), Coliban (Taylor), Stirling's Range (F. M.), Drumm. 369.

Helipterum pterochætum nunc quoque habeo a Lake Gilles (Burkitt) et Fowler's Bay (Giles).

Helipterum dimorpholepis habemus a Darling's Downs, Lau ; Edward's River, Murrumbidgee et Darling's River (F. M.) ; Blue Mountains (Woolls).

Helipterum hyalospermum obtinui a Fraser's Range (Dempster), a Great Bight (Carey), Edward's River, Murrumbidgee, ubi primo vere frequentissimum (F. M.), Ballandool (Looker), York's Peninsula (Salmon et Fowler). Anthridosoro gracili simillimum.

Helipterum Cotula servavi a regionibus prope Cape Leewin, Kalgan et Stirling's Range (F. M.), Irwin's River (Sewell), Greenough's River C. Gray), Great Bight (Carey), Wimmera (Walter), Richardson's River (Curdie), Murray-River, Murrumbidgee, Edwards's River (F. M., ubi etiam var. flaviceps). Variat bracteis exterioribus roseis.

Helipterum Pyrethrum statu pumilo et pappo oligochæto vidi a Tone's River (Oldfield.)

Goodeniaceæ.

Goodenia Armitiana.

Herbacea, fere glabra, ***foliis linearibus*** integerrimis leniter canaliculatis, pedunculis e axi foliorum superioribus solitariis summisve perpaucis confertis omnibus tenui-filiformibus, pedicellis brevissimis, ***bracteolis nullis, calycis tubo brevissimo,*** laciniis subulato-linearibus, ***corollæ*** parvæ extus glanduloso-puberulæ ***lacinis tribus inferioribus ad apicem minute alatis*** imberbibus, superioribus antice scarioso-auriculatis et ad marginem barbatis, antheris oblongo-ovatis muticis, stylo brevi indusioque sericeo-villosis, ***capsula fere supera ovato-rotunda*** compressa, septo brevissimo, seminibus octo vel paucioribus latiuscule alatis.

Ad originem fluminis Lynd's River ; Armit.

Herba spithamæa usque pedalis, macra, perennis. Folia inferiora $1\frac{1}{2}$–$2\frac{1}{2}''$ longa, circiter lineam lata, superiora breviora et angustiora. Pedunculi (sive pedicellorum articulus inferus) $\frac{1}{2}$–$1''$ longi. Calycis laciniæ sesqui-lineares, extus glanduloso-puberulæ. Corolla circiter $3'''$ longa. Filamenta angustissima. Stylus crassiusculus. Indusum breviter ciliatum. Capsula vix $3'''$ longa, interdum fere rotunda, breviter apiculata. Semina pallide flavidula ; nucleus ovatus, acutatus, punctulatus.

A G. microptera hanc novam distinguo jam calycis laciniis tubo longioribus, dissepimento fere obliterato. A G. hispida distinctio etiam facilis ; indumentum enim vix ullum, folia præangusta, corolla minor, semina conspicue alata. A G. coronopifolia separatur foliis, quantum nota, indivisis, calycis lobis longiusculis, corolla extus non glabra.

Goodenia ovata quoad fructum in opere Gærtneri notata t. 211.

Goodenia hederacea var. Hartmanni (ni species propria) caulem producit erectum, folia radicalia incluso petiolo semipedalia et integerrima, folia caulina cordato-orbiculata repanda sesquipollicaria et fere sessilia. Hæc prope Towamba obvenit.

Goodenia elongata et G. humilis Novam Austro-Cambriam intrant, ubi ad Hume's River me ipso lectæ. Intra illius coloniæ limites ad flumen Edwardi me reperta sunt : Myosurus minimus, Tillæa macrantha, Myriophyllum integrifolium, Alchemilla arven-

sis, Brachycome goniocarpa, B. collina, Toxanthus perpusillus, Rutidosis Pumilio, Stuartina Muelleri, Calotis anthemoides, Glossostigma Drummondi Eritrichium Australasicum, Leeuvenhœkia dubia, Stylidium despectum, Pimelea humilis, Trithuria submersa, Centrolepis glabra.

Goodenia Pumilio ad portum Darwini nascitur (Schultz). Verreauxia paniculata ad Scævolæ genus pertinet cum altera specie, ut in opusculo "Introduction to Botanical Teaching" indicavi.

Brunonia australis jam illustrata in Guillemin Icon. Lithogr. Plantar. Austral. Rarior. t. 15, et in Ferdinandi Bauer Illustration. Flor. Nov. Holl. t. 10.

Convolvulaceæ.

Lepistemon Fitzalani.

Appresso-pilosus, foliis cordatis acuminatis integerrimis supra parce pilosis subtus sericeo-pubescentibus, cymis brevissime pedunculatis confertifloris, *sepalis minutis rotundo-ovatis corolla glabra multoties brevioribus*, squamis hypostamineis extus papilluloso-barbellatis.

Pone portum Trinity-Bay ; Fitzalan.

Caules et rami volubiles. Petioli sesquiunciales vel breviores. Folia 3–4″ longa, sensim longe acutata. Pedunculi primarii $1\frac{1}{2}$–3‴ longi, cum secundariis perbrevibus et pedicellis cano-tomentosi, quasi sericantes. Bracteæ minutæ, acutæ. Pedicelli gracillimi, paucilineares. Sepala tantum lineam longa, exteriora dorso sericea, interiora fere glabra et paulo angustiora. Corolla $\frac{1}{2}$–$\frac{2}{3}$″ longa, inferne ventricosa, superne tubulosa, in limbum brevem expansa. Stamina prope fundum corollæ affixa. Filamenta superne capillaria, inferne linearia, lineam vix excedentia. Antheræ flavidæ, vix lineam longæ, hastato-ovatæ. Squamæ conniventes, 1‴ longæ, margine et apice recurvatæ, deltoideo-lanceolatæ, e centro filamentum exserentes. Discus annularis germen alte cingens, glaber, minute 5-denticulatus. Stylus capillaris, glaber, lineam longus. Stigma rotundatum, papillosum. Fructus nondum reperti.

Sepala perbrevia obtusa hanc novam speciem a L. Wallichii (Choisy Convolvul. Orient. 61) et L. flavescente (Bl. Bijdr. 722) facillime distinguunt. L. reniformis (Hassk. Plant. Javan. Rarior. 524) longius distat.

Huic Ipomœa urceolata forsan combinanda.

Ipomœa paniculata ripas fluvii Endeavor-River inhabitat (Dr. Wuth).

Ipomœa Davenportii ad Glenelg's River nascitur.

Ipomœa palmata ad Rockingham's Bay extendit ; eandem e Nova Zeelandia habemus.

Ipomœa quinata recentius obtenta est ad Gilbert's River (Armit), Rockingham's Bay (Dallachy), Cleveland-Bay (Gulliver), Moreton's Bay (Eaves).

Ipomœa diversifolia occurrit ad portum Darwini (Schultz).

Ipomœa dissecta crescit in archipelago Dampieri (Walcott), ad Port Darwin (Schultz), Norman's River (Gulliver), Ennesleigh's River (Armit).

Ipomœa hederacea nunc nota a Cleveland-Bay (Johnson), Gilbert's River (Daintree).

Ipomœa congesta ab amico Thozet in Lady Elliott's Island reperiebatur.

Ipomœa purpurea nascitur ad Rockhampton (O'Shanesy), ubi etiam varietas albiflora gignitur (Thozet).

Ipomœa alata prope portum Darwini notabatur (Schultz). Pedicelli solitarii, circiter pollicem longi, pedunculo crassiores, angulosi sed apteri. Capsula uncialis, globosa, irregulariter rumpens. Semina glabra.

Ipomœa longiflora varietatem tubo corollæ tenuiore ad Cape York producit, fide collectionis Jardinii.

Ipomœa costata inveniebatur trans Murchison's River (Giles), prope Nichol-Bay (Crouch), Robertson's River (Armit).

Ipomœa pes capræ valde lactescit. Novi hujus speciei loci sunt : Dampier's Archipelagus (Walcott), Beagle-Bay (Hughan), Port Darwin (Schultz), Norman's River (Gulliver), Rockingham's Bay (Dallachy), Cleveland-Bay (Johnson), Fitzroy's Island (Curdie), Percy's Group (Walter), Clarence-River (Wilcox), Lord Howe's Island (Moore, Fullagar).

Ipomœa abrupta occurrit ad Rockingham's Bay (Dallachy), Port Denison (Fitzalan). Capsula fere uncialis, globosa. Semina nigro-fusca, tenui-velutina, villis pallidis secus angulos sericeo-barbata. Var. velutinam (I. velutina, R. Br. Pr. 485) ad Mount Surprise reperit cl. Armit.

Ipomœa denticulata nascitur ad Daintree's River (Fitzalan).

Ipomœa gracilis reperiebatur ad Victoria-River (F. M.), Mueller's Range (Birch), Isaac's River (Bowman), Springsure (Wuth).

Ipomœa Muelleri nascitur ad flumen Cloncurry-River (A. Henry), Lady Charlotte's Waters (C. Giles), Macdonnell's Range (E. Giles).

Ipomœa angustifolia me obtenta est a Port Darwin (Schultz), Newcastle's Range and Etheridge's River (Armit), Cleveland-Bay (Johnson), Rockhampton (O'Shanesy), New England (C. H.).

Ipomœa plebeja notabatur ad Rockhampton (O'Shanesy), Comet-River (Leichhardt et Bunce), Rockingham's Bay (Dallachy).

Ipomœa eriocarpa nascitur ad portum Darwinii (Mackinlay) et prope portum Denisonii (Fitzalan).

Ipomœa heterophylla crescit ad Bremer's River (Hartmann), Namoi (Woolls), Charlesville (E. Giles), Peak-Downs (Burkitt),

Ballandool-River (Looker), Flinders-River (Sutherland), Lake Eyre (Lewis), Charlotte's Waters (C. Giles) et prope King's Sound.

Ipomœa bona nox ab Eug. Fitzalan ad Daintree's River detegebatur.

Ipomœa sinuata ad Bowen's River a Roberto Fitzgerald obtinebatur.

Convolvulus sepium (L. Sp. Pl. 133) quoad synonymiam breviter tractabatur in opere "The Veget. of the Chath. Isl." 39. C. Soldanella (L. Sp. Pl. 159) nascitur in Lord Howe's Island (Moore, Fullagar) et prope Cape Howe (Walter).

Convolvulus marginatus, quem Fullagar et Lind in insula Howei obtinebant, includere videtur C. affinem (Endl. Prodr. Flor. Insul. Norfolk, 51). Notas de hac stirpe in opere supra indicato obtuli.

Convolvulus parviflorus passim variat foliis fere lanceolatis, floribus solitariis et sepalis abbreviatis.

Convolvulus erubescens includit C. crispifolium (F. M. in Linnæa 1852, p. 423). De synonymia vide: "Veg. of the Chath. Islands." Hic extendit ad Newcastle-Range (F. M. in Proceed. Linn. Soc. ii. 150), Gilbert's River (Armit), Macdonnell's Range (C. Giles), Barcoo (Birch et Schneider), Weld's Springs (Forrest). Hæc planta cum aliis regionum australium ovibus per pascua in tractus tropicos ample ampliusque portabitur.

Convolvulus arvensis (L. Sp. Pl. 153) immigravit ad Yarra-Yarra (F. M.) et Parramatta (Woolls).

Evolvulus linifolius (L. Sp. Plant. edit. secund. 392) austrum versus extendit ad Albergam (Giles), Condamine's River (Hartmann), Maranoo (Woolls). Folia interdum ultra pollicem longa. Corolla ad 7 lineas usque lata.

Dichondra repens (R. et G. Forst. Char. Gener. 39 t. 20) fructus sæpe sub humo maturescit in modum Nephrophylli Abyssinici et Evolvuli dichondroidis.

Wilsonia humilis ad Fowler's Bay (Richards) et Geograph-Bay (Pries) nascitur.

Wilsonia crassifolia mihi obvia erat ad lacus Calverti, Colac et Carangamite, ubi humum basalticum diligit.

Cuscuta Chinensis (Lam. Encycl. Méthod. ii. 229) crescit ad Etheridge's River in Indigoferis secundum collectionum Armitti.

Cuscuta australis ad Rockhampton (O'Shanesy), secus Mitta-Mitta et Hume's River (F. M.) recentius reperiebatur.

Breweria media me notabatur ab archipelago Dampieri (Walcott), Percy's et Robinson's River (Armit).

Breweria pannosa ad portum Darwini (Schultz) collecta fuit.

Breweria rosea indumentum sat variabile ostendit. Hanc habeo ab Irwin's River (Guerin), Nickol-Bay (Crouch); eandem vel finitimam vidi a Glen of Palms, McDonnell's Range, Mount Olga,

Victoria-Spring et aliis locis in collectionibus Gilesii. Styli alte connati, ramo altero sæpe brevissimo.

De limitibus omnium congenerum denuo inquirendum.

Polymeria longifolia in Peak Downs (Burkitt) nascitur, et ad Barcoo (Wuth).

Urticaceæ.

Fleurya.

Gaudich. Bot. Voy. Freycin. 497.

Calyx masculus 4–5-lobus; *calyx femineus sæpe inæqualiter 4-lobus.* Stamina 4–5. Stigma sessile, lanceolatum vel subulatum, persistens, ætate uncinato-recurvatum, additis stigmatibus 1–2 rudimentariis v. nullis. *Caryopsis obliqua, compressa, marginata, utroque latere tuberculata, stipiti oblique insidens, decidua.* Albumen ad apicem embryonis tantum evolutum et parcissimum.

Herbæ annuæ, intratropicæ, pilis urentibus obsitæ, foliis sparsis dentatis trinerviis, *stipulis axillaribus* bipartitis, floribus cymosis vel glomeratis articulato-pedicellatis.

Fleurya interrupta.

Gaudichaud, Bot. Voy. Freycin. 497; Wight Icon. Plant. Ind. Or. t. 692 et 1975; Wedd. in Archiv. du Mus. d'Histoire Nat. ix. 115, t. 1; Miq. Flor. Ind. Batav. i. 2, p. 228; Wedd. in Cand. Prodr. xvi. 74; F. spicata, Gaudich. l. c.; F. glomerata, Gaudich. l. c.

Pilosa, foliis cordato-ovatis vel fere cordatis acuminatis serratis longe petiolatis, floribus monoicis glomerato-paniculatis v. fere spicatis, *calycibus femineis quadridentatis,* pedicello eorumque supra articulationem dilatato, stigmate trientem fructus æquante vel paulo excedente, caryopsi margine membraneo-cincta.

Ad bases montium juxta portum Trinity-Bay, ubi quoque *Panicum Myurus* (Lamark, Illustr. i. 172) nascitur; Bailey.

Ficus scabra (G. Forst. Florul. Insul. Austr. Prodr. p. 76) includit F. asperam plurium scriptorum atque Benthami (Flor. Austral. vi. 174), dum vera F. aspera (G. Forst. Plant. Escul. 7) fructibus multoties majoribus eos F. Caricæ fere æquantibus facillime divellenda est, ut e delineationibus Forsteri diu ineditis a cl. Seemann demonstrabatur; conf. Fl. Vitiensis, 249, t. lxiv. et lxv. F. aspera apud nos multo rarior est quam F. scabra.

Amentaceæ.

Balanops Australiana.

Arborea, *foliis sparsis integerrimis* oblongo- vel lanceolato-obovatis in petiolum conspicuum angustatis glabris, bracteis florum femineorum involucrantibus extus cano-sericeis, *fructibus parvis* oblique ovatis.

Ad sinum maris Rockingham's Bay, una cum Miliusii specie ; Dallachy.

Arbor minor, Quercubus quibusdam sempervirentibus nec non aliquot Mabæ et Hemicycliæ speciebus non dissimilis. Ramuli angulati, mox glaberrimi. Folia coriacea, pleraque 3–4″ longa, 1–1½″ lata, basin versus fere cuneata, supra splendentia, subtus leniter nitidula, prominule et distanter penninervia, reticulari-venosa, fere omnino plana. Flores masculi ignoti ; feminei axillares, solitarii, sessiles. Bracteæ pauciseriato-imbricatæ, e rotundo rhombeæ, interiores sesquilineam metientes, exteriores gradate breviores, omnes persistentes. Stigmata duo, lineam longa vel paulo longiora ; segmenta utriusque 2 rarius 3, lineari-subulata, subtus sericea, stylo brevissimo imposita. Fructus semiunciales vel paulo longiores, e pallido fuscescentes, præter apicem glabri, biloculati vel septi obliteratione uniloculati. Pericarpium fragile ; endocarpium imperfecte separans. Semina 2, nisi alterum tabescens, ovata, sæpe plano-convexa. Testa fusca, chartaceo-membranea. Albumen vix ullum. Embryo rectus ; cotyledones plano-convexæ ; radicula brevissima, infera.

Generis hactenus e Nova Caledonia tantum noti species genuina, quamvis flores staminigeros nondum accepi.

De speciebus Novo-Caledonicis vide Baill. Hist. des Plant. vi. 237, 258, fig. 207–213 ; Adansonia, x. 117, 337 ; Baill. Dictionnaire de Botanique, 1877, pp. 352–353.

Casuarineæ.

Casuarina lepidophloia.

Arborea, articulis ramulorum subtiliter striatis in dentes novem usque decem brevissimos terminatis, ***strobilis breviusculis fulvide sericeo-tomentellis***, bracteis e vertice obtussimo brevissime acuminatis, ***bracteolis fructigeris conspicue emersis minute apiculatis exappendiculatis, seminibus pallidis.***

In eremis inter fluvios Bogan, Darling's et Lachlan's River ; una cum C. glauca ; L. Morton. Prope flumen Murray-River in depressis locis aridioribus.

Arbor minor v. mediocris. Ramuli fere semper linea tenuiores, haud angulosi. Folia denticuliformia, primum deltoideo-lanceolata, subtilissime fimbriolata. Flores nec masculos nec femineos vidi. Strobili pollice breviores, denique depresso-globosi ; bracteolæ valviformes parum turgentes, apicem versus leniter carinatæ. Semina non habeo prorsus maturata.

Species hucusque cum C. glauca confusa. Cortex autem, monente Morton, squamosus non profunde sulcatus, lignum molliusculum haud durissimum, trunci ex eodem rhizomate horizontali sæpe plures satis distantes, præterea ramuli sæpe tenuiores,

dentes verticillorum pauciores et breviores, carpidia in fructu pauciora alte exserta, crassiora cum seminibus majora.

Species nostra nova fructibus suis C. equisetifoliam admodum approximat, foliatione autem et forsan cortice ligno floribusque racedit.

Eandem speciem vel alius congeneris finitimæ varietatem habeo a Rockhampton Mackenzie's et Sutter's River atque Edgecombe Bay. Tertia varietas nisi species, fructu depressissimo insignis, prope Wimmeram et flumen Murrayi crescit.

Orchideæ.

Chiloglottis diphylla.

R. Br. Prodr. 323 ; Bauer Illustr. t. 8.

Altior, glabra, foliis a tubere longe distantibus ovatis vel in formam lanceolarem vergentibus perbreviter petiolatis, bractea a flore dissita, *sepalo supremo in acumen teretiusculum prælongum terminato, sepalis infimis descendentibus* fere cylindricis labellum æque ac sepala lateralia longe superantibus, *labelli lamina fere rhombiformi longitudinem unguis aliquoties excedente* horizontaliter patente superne ample papillosa inferne glandulis stipitatis obtecta ad et ante basim callo lævi prædita.

In Australia orientali extratropica.

Chiloglottis trapeziformis.

Fitzgerald, Australian Orchids, Part. iii. (1877).

Altior, gracilis, glabra, foliis a tubere distantibus lanceolatis in basim petiolarem longe angustatis, bractea a flore dissita, sepalo supremo parum acuminato, omnibus sepalis longitudine fere æqualibus, *labelli lamina rhombiformi longitudinem unguis duplo excedente fere erecta præter callum papillarem ungui proximum nuda.*

Ad urbem Liverpool ; Canon King.

Limites hujus et congenerum hinc circumscripti ampliore scrutione egent.

Chiloglottis formicifera.

Fitzgerald, Australian Orchids, Part. iii. (1877).

Humilior, satis robusta, glabra, *foliis prope tuber sessilibus* oblongo-lanceolatis margine paulo undulatis, bractea florem approximante, sepalo supremo parum acuminato, *sepalis* ceteris externis *sursum vergentibus,* omnibus longitudine fere æqualibus, *labelli lamina rotundato-deltoidea obtusissima longitudinem unguis semiæquante* horizontaliter patente antice et centrum versus

papillis onusta ad unguem callo magno inferne divergenti-bilobo prædita et glandulis stipitatis obsita.

Ad urbem Liverpool, Canon King ; Blue Mountains, Fitzgerald.

Chiloglottis Gunnii.

Lindley, Gen. and Spec. of Orchidac. Plants 387 ; J. Hook. Flor. Tasm. ii. 23, cviii. F. M. Veg. of the Chath. Isl. 52–3 ; Benth. Flor. Austr. vi. 391.

Robusta, glabra, foliis a tubere distantibus lanceolato-ovatis breviter petiolatis, *sepalo supremo ovato-cymbiformi parum acuminato, sepalis lateralibus erectis* supremo duplo angustioribus, omnibus longitudine fere æqualibus, *labello cordato-ovato fere sessili* solummodo axim versus papilloso.

In caudicibus filicum arborescentium coloniæ Victoriæ et insulæ Tasmaniæ.

Egoipse florem vidi viridem non saturate purpurascentem, nisi planta Victoriana sub nomine C. viridiflora specifice forsan distinguenda.

De speciebus extra-australianis nempe ; C. Traversi (e Nova Zeelandia, Chatham's, Pitt's et Auckland's Island) et C. cornuta (e Campbell's et Auckland's Islands) vide F. M. Veg. of the Chath. Isl. 51, et Hook. Fl. Antarctic. i. 69.

Filices.

Trichomanes peltatum.

Baker in the Journ. of the Linn. Soc. ix. 336, t. 8, f. C. (1866) ; Hook. et Bak. Synops. Filic. sec. edit. 73 (1874).

Appressum, minutum, rhizomate tenui longe repente, *frondibus stipite prorsus destitutis orbicularibus centrifixis* vel irregulariter peltatis indivisis integerrimis vel repando-sinuatis vel rarius incisis subtus præsertim centrum versus nigro-pilosulis, venis radiantibus dichotomis numerosissimis, indusiis sparsissimis exsertis latiuscule labiatis, axi fructigero fere omnino incluso.

In silvis densis madidis pone oram Trinity-Bay ; Bailey.

Filicula ope radicellarum brevissimarum frondium cortici arborum innascitur.

Trichomanes pyxidiferum.

Linn. Sp. Plant. 1098.

Humile, rhizomate repente, stipitibus gracillimis, *frondibus bipinnatis,* lobis pinnarum latiuscule linearibus integerrimis confluentibus vel iterum pinnatilobis secus rachim anguste decurrentibus uninerviis haud venosis, *soris axillaribus stipite brevissimo alato præditis* ad orificium dilatatis haud labiatis, receptaculo demum longiuscule exserto.

Ad caudices filicum arborescentium inter Colac et Cape Otway, Lucas; secus flumen Brisbane's River, Bailey.

Notulas aliquot de aliis filicibus nec non Lycopodiaceis addo :

Schizæa dichotoma prope Cape Sidmouth reperta est a cl. C. Moore.

Lygodium scandens a monte Ellioti habemus.

Angiopteris evecta ad Cape Tribulation nascitur (N. Taylor), ad Johnston's River (W. Hill).

Marattia salicina ex insula Howei allata est a Lind et Fullagar, e regionibus altioribus montis Bellenden-Kerii a W. Hill. Squamæ ad basim stipitum si tostæ bene edules.

Gleichenia platyzoma ad latera occidentalia tractuum montosorum Australiæ boreali-orientalis pæninsularis reperitur secundum notas cl. Taylor. Eandem e vicinia montium Mueller's Range attulit cl. Birch. Pinnæ facile secedentes.

Gleichenia Hermanni ad portum Darwini occurrit (Schultz); in summitate montis Bellenden-Kerii (Hill).

Lycopodium Selago var. L. varium in insulam Howei vergit.

Lycopodium Phlegmaria ad flumen Johnsoni nascitur fide collectionis Hilli. De litteratura vide Seem. Fl. Vit. 328.

Lycopodium densum in Novam Angliam extendit.

Lycopodium serpentinum in collectione Drummondi sub 351 ponit.

Lycopodium laterale saltem ad flumen Curdiei usque occidentem versus migrat, et in regiones tropicas saltem usque ad Rockingham's Bay.

Lycopodium cernuum a Johnson's River (W. Hill) et Wide Bay (Eaves) nuper accepi. De synonymis vide Seem. l. c.

Psilotum triquetrum ex insula Howei habemus, ubi usque ad 3′ longum (Fullagar). De generatione vide Kickx sur l'Organ. reproduct. du Psil. triq. 1870, c. tabula. De litteratura vide Seem. Flor. Vit. p. 331.

Tmesipteris Tannensis includit T. Billardierii (Endl. Prodr. Flor. Norfolk, 6). Ad Rockingham's Bay (Dallachy), in Bellenden-Ker's Range (W. Hill), nec non in Howe's Island (Fullagar) crescit. Statum minorem notavi in Linnæa jam 1852. Extensio in Novo-Ebudeas vix dubitanda.

Phylloglossum Drummondi reperit prope Dandenong D. Boyle; vidi plantam in montibus Stirlingi. Hook. Icon. 908; Metten. in Bot. Zeit. 1867, pp. 99–101.

Fasciculus LXXXVII. editus initio Octobris 1877.

FRAGMENTA PHYTOGRAPHIÆ AUSTRALIÆ.

ADDITAMENTA.

Sisymbrium brachypodum.—vii. 20.

Alyssopsis Drummondi, Turcz. in Bullet. Mosc. 1854, p. 291 huc pertinet.

Dracophyllum Fitzgeraldi.—vii. 27.

Monente Cl. Fitzgerald altitudinem 90′ et circumferentiam caudicis sesquipedalem attinet.

Bolbophyllum lichenastrum.—vii. 60.

Cl. Bailey in summis montibus pone Trinity-Bay sepala observavit cremorea, sanguineo-venosa, labellum læve aurantiacum furcato-venosum ad 3‴ longum, folia ad 10 lineas usque longa passim anguste ellipsoidea.

Anguillaria australis.—vii. 74.

Ad Wurmbseam sub nomine W. dioicæ nunc duxi. Species etiam Austro-Africanæ eidem generi optime jungendæ.

Kentia Canterburyana.—vii. 101.

Huc Veitchia Canterburyana, Wendlandi nepotis in Gardn. Chronicle 1872 p. 327, fig. 116.

Amorphospermum antilogum.—vii. 113.

Cl. Wilcox hanc arborem ad Clarence-River reperit. Eques Josephus Hooker Amorphospermum ad Lucumam transtulit cum Sersalisia et Niemeyera; vide Benth. et Hook Gen. ii. 634. Illustris de sapotaceis scriptor Achradis species Australianas ad Sideroxylon movit.

Rourea brachyandra.—viii. 7.

Ad flumen Daintree-River ab Eug. Fitzalan reperta.

Stackhousia megaloptera.—viii. 35.

Variat perbrevi-pubescens. Folia usque ad pollicem longa, ad 2‴ lata. De locis novis hujus speciei sicut multarum aliarum Australiæ centralis vide Trimen's Journal 1877.

Calostrophus elongatus.—viii. 86.

Junctis Calostropho et Hypolæna nomen Billardieri (ei Brownii antiquius et bona icone suffultum) certe præstabit.

Calostrophus flexuosus.—viii. 100.

Positionem hujus stirpis cum Hypolæna pubescente in genere Loxocarya ipse indicavi.

Hemitelia Macarthurii.—viii. 176.

Hanc jam in Cyatheam posui, quare nomini C. Moorei (Bak. Synops. edit. altera 453) id C. Macarthurii substituendum.

Livistona Ramsayi.—viii. 221.

Similitudo hujus et Licualæ peltatæ (Griffith palms t. ccxxii.) atque Coryphæ Talieræ (Roxb. e Griffith palms t. ccxx.) agnoscenda.

Tricholobus connaroides.—viii. 224.

Huic addendus Connarus conchocarpus, et eidem congener Connarus Pickeringi ex insulis oceani pacifici.

Desmodium pendulum.—viii. 225.

Subjugendum D. dependenti, Bl. in Miq. Fl. Ind. Batav. i. 248.

Clinostigma Mooreanum.—viii. 235.

Caudex crassus, ad 12′ usque altus ; folia ad 2′ tantum longa, notante Fitzgerald.

Chætospora oligostachya—ix. 38.

Præeuntibus Josepho Hooker aliisque junctionem Chætosporæ et Schœni jam l. c. admisi. Carpha Elynanthus et Mesomelæna potius Schœni sectiones, quam genera seorsa.

Isolepis articulata.—ix. 55.

In notula paginæ 38 jam distinctionem frustraneam inter Scirpum et Isolepidem pronunciavi.

Clinostigma Mooreanum.—ix. 195.

Cyphokentiæ quoque a celeberrimo Beccari (Malesia i. 41), me autem præeunte, Clinostigmati inserebantur.

Kentia minor.—ix. 195.

Huic in eodem genere proxime adstant Nengella montana et N. flabellata (Becc. Malesia 32–34, t. 1.)

Duboisia Hopwoodii.—x. 20.

Folia admodum stimulantia fere toxicaria nomadibus indigenis notissima.

Cycas Cairnsiana.—x. 63.

Nuper quoque ad flumen Robinsoni Armitio inventa. Caudex usque 15′, circumferentia ad basim 5′ ad summitatem fere 3′. Folia usque ad 5′ longa. Rachis amenti masculi pollice angustior. *Squamæ masculæ parvæ,* tota longitudine $\frac{2}{3}$–1″ metientes, 3–4‴ latæ, subtus undique et supra ultra medium tomento ferrugineo-canescente dense vestitæ, acumine adscendente apice sæpe subulato terminatæ. Area antherifera parti terminanti sterili vix æquilonga. Antherarum loculi eis congenerum comparatis minuti, tomento magna ex parte occulti, tardissime aperti, forsan nunquam ample hiantes. Novam Cycadearum enumerationem dedit ill. Regel in actis horti Petropolitani, 1876, pp. 275–320.

Trichodesma latisepaleum.—x. 102.

Radix annua, monente Armit, qui plantam in solo basaltico tantum vidit. T. Zeilanicum camelis gratissimum.

Indicatio specierum in hoc decimo volumine expositarum, quæ in Benthami flora Australiensi non continentur, additis paucis *alibi* notatis.

Clematis Fawcetti, p. 1 ; Tetracera Wuthiana, p. 49 ; Pleogyne Cunninghami ; Leichhardtia clamnoides, p. 105 ; Fawcettia tinosporoides, p. 93 ; Capparis Shanesiana, p. 94 ; Erysimum Richardsii, p. 105 ; Drosera lunata, p. 80 ; Tetratheca efoliata, p. 3 ; Comesperma viscidulum, p. 4 ; Flindersia Ifflai, p. 94 ; Zygophyllum crenatum ; Sida cleisocalyx, p. 73 ; Urena Armitiana, p. 78 ; Seringea adenolasia, p. 96 ; Hannafordia Bissilli, p. 95 ; Commersonia melanopetala, p. 21 ; Elæocarpus Grahami, p. 3 ; Calandrinia Pickeringi, p. 69 ; C. pleiopetala, p. 70 ; C. brevipedata, p. 69 ; C. pumila, p. 68 ; C. pogonophora, p. 69 ; C. ptychosperma, p. 70 ; Portulaca Armitii, p. 97 ; Trianthema humillima, p. 72 ; T. turgidifolia, p. 83 ; Muehlenbeckia australis ; Pomaderris intangenda, p. 52 ; Bertya quadrisepalea, p. 52 ; Monotaxis luteiflora, p. 51 ; Phyllanthus buxifolius (F. M. Papuan Plants, p. 23) ; Fleurya interrupta, p. 114 ; Balanops Australiana, p. 114 ; Acacia denticulifera, p. 32 ; A. quadrimarginea, p. 31 ; A. volubilis, p. 98 ; Cassia heptanthera, p. 8 ; C. cardiosperma, p. 50 ; Afzelia bijuga (F. M. Papuan Plants, p. 24) ; Jacksonia nemato-

clada, p. 50 ; J. pteroclada, p. 37 ; J. cupulifera, p. 36 ; J. radinoclada, p. 38 ; Daviesia acanthoclona, p. 32 ; Isotropis canescens, p. 51 ; Gastrolobium seorsifolium, p. 35 ; Burtonia gompholobioides, p. 34 ; Phyllota Luehmanni, p. 33 ; Aotus Tietkensi, p. 33 ; Swainsona colutoides, p. 6 ; Haloragis confertifolia, p. 53 ; H. trigonocarpa, p. 84 ; Grevillea apiciloba, p. 45 ; G. erectiloba, p. 44 ; G. eriobotrya, p. 44 ; Hakea rhombales, p. 90 ; Persoonia diadena, p. 46 ; Petrophila anceps, p. 47 ; P. megalostegia, p. 61 ; Conospermum Toddii, p. 20 ; Calycothrix Birdii, p. 26 ; C. Creswelli, p. 27 ; C. plumulosa, p. 27 ; Thryptomene stenocalyx, p. 23 ; T. auriculata, p. 24 ; T. hymenonema, p. 26 ; T. urceolaris, p. 25 ; T. trachycalyx, p. 25 ; Wehlia thryptomenoides, p. 22 ; W. coarctata, p. 23 ; Bæckea ochropetala, p. 29 ; B. cryptandroides, p. 29 ; Beaufortia interstans, p. 30 ; Calothamnus Gilesii, p. 31 ; Melaleuca leiocarpa, p. 55 ; Eucalyptus Youngiana, p. 5 ; E. salubris, p. 54 ; E. Rameliana, p. 84 ; E. Watsoniana, p. 98 ; E. Raveretiana, p. 99 ; E. Torelliana, p. 106 ; Hedyotis Crouchiana, p. 85 ; Epaltes pleiochæta, p. 100 ; Athrixia chætopoda, p. 56 ; Leptorrhynchus Baileyi, p. 101 ; Helichrysum Gravesii (Notices of the Royal Soc. of Tasm. 1876, p. 7) ; H. Gilesii, p. 85 ; Helipterum Calvertianum, p. 108 ; H. Haigii, p. 107 ; Lobelia Browniana, p. 41 ; L. microsperma, p. 41 ; Isotoma Gulliveri, p. 39 ; Stylidium limbatum, p. 57 ; S. squamellatum, p. 56 ; S. trichopodum, p. 86 ; Velleya discophora, p. 10 ; V. Daviesii, p. 10 ; Dampiera luteiflora, p. 11 ; D. Wellsiana, p. 12 ; D. candicans, p. 86 ; Scævola oxyclona, p. 58 ; Goodenia xanthosperma, p. 12 ; G. Armitiana, p. 110 ; Calogyne heteroptera, p. 43 ; Eremophila strongylophylla, p. 87 ; E. Youngiana, p. 16 ; E. Dempsteri, p. 60 ; E. psilocalyx, p. 87 ; E. Turtoni, p. 87 ; E. exilifolia, p. 88 ; Chloanthes Elderi, p. 13 ; C. loricata, p. 14 ; C. halganiacea, p. 14 ; C. Bonneyana, p. 73 ; Dicrastylis Nicholasii, p. 15 ; Newcastlia chrysotricha, p. 15 ; N. hexarrhena, p. 16 ; Trichodesma latisepaleum, p. 102 ; Prostanthera Eckersleyana, p. 17 ; P. Grylloana, p. 17 ; Wrixonia prostantheroides, p. 18 ; Depremesnilia chrysocalyx, p. 59 ; Hemigenia brachyphylla, p. 19 ; Alyxia Thozetii, p. 103 ; Notonerium Gossei (Hook. Icon. 1180) ; Stemodia linophylla, p. 88 ; Tecoma Hillii, p. 101 ; Lepistemon Fitzalani, p. 111 ; Anthocercis Odgersi, p. 19 ; Solanum vescum (Transact. Vict. Inst. 1855, p. 69) ; Maba buxifolia, p. 74 ; Casuarina acutivalvis, p. 61 ; C. corniculata, p. 62 ; C. lepidophloia, p. 115 ; Cycas Cairnsiana, p. 63 ; Dendrobium Fairfaxii (Sydney Herald, 18th Nov. 1877) ; Chiloglottis formicifera, p. 116 ; C. trapeziformis, p. 116 ; Diuris æqualis, p. 65 ; Caladenia Nortoni, p. 64 ; Aneilema calandrinoides, p. ix. 191 ; Cymodocea rotundata.

INDEX.

—o—

Species literis cursivis indicatæ diagnosi expositæ sunt.

INDEX ORDINUM ET GENERUM VOLUMINUM VI.—X.

Melbourne: Auctoritate Guberni Coloniæ Victoriæ. Ex Officina Joannis Ferres.